

R. 2010

Bd

# B V C O L I C A

L A T I N A , A D I M I T A T I O N E M P R I N C I P V M P O E T A R V M , T H E O C R I T I , G R A E C I , E T P . V I R G I L I I M A R O N I S L A T I N I , C O N S C R I P T A .

I N Q V I B V S P R A E T E R A L I A *plurima, quae ad religionis Christianae controversas pertinent, necessaria, utilia, & scitu dignissima continentur:*

Auctore

HANNARDO GAMERIO MOSSAEO, COMITE PALATINO, POETA LAVREATO, ET IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI, GRAEMCARVM LITTERARVM PROFESSORE ORMDINARIO.

*M.<sup>o</sup> del Colegio de la Compañia de Jesus de Granada*



ANTVERPIÆ,  
Ex officina Christophori Plantini,  
M. D. LXVIII.



R. 2010

Bd.

# B V C O L I C A


L A T I N A , A D I M I T A T I O N E M P R I N C I P V M P O E T A R V M , T H E O C R I T I , G R A E C I , E T P . V I R G I L I I M A R O N I S L A T I N I , C O N S C R I P T A .

I N Q V I B V S P R A E T E R A L I A plurima, quae ad religionis Christianae controversias pertinent, necessaria, utilia, & scitu dignissima continentur:

Auctore

HANNARDO GAMERIO M<sup>o</sup> SAE<sup>o</sup>, COMITE PALATINO, POETA LAVREATO, ET IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI, GRAECARVM LITTERARVM PROFESSORE ORDINARIO.

*M<sup>o</sup> del Colegio de la Compañia de Jesus de Granada*



ANTVERPIÆ,  
Ex officina Christophori Plantini,  
M. D. LXVIII.

SERENISS. AC  
ILLVSTRISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO, D. AL-  
BERTO COMITI PALATINO  
RHENI, ET VTRIVSQVE BAVA-  
RIÆ DVCI, &c.



VOTIESCVNQVE  
mecum de Imperij Ro-  
mani reliquijs cogito,  
Princeps illustrissime,  
magnum ex discordia, quam religio-  
nis mutatio nobis peperit, dolorem  
capio. Nisi enim opinionum varie-  
tate & altercationibus essent alie-  
nata voluntates & Germanorum  
fractæ vires, posset hæc natio, si non  
potentia & opibus, saltem confi-  
dio, magnitudine animi & rei mi-  
itaris scientia cum veteribus Roma-

nīs conferri. indicat id satis super-  
que quorundam Imperatorum vir-  
tus, qui, non tantum patrum, sed  
nostra etiam memoria, partim longē  
lateque Imperij fines propagarunt,  
partim exiguis opibus res tantas  
gesserunt, quantas Romani in illa  
olim omnium rerum abundantia, &  
diuitiarum cumulo vix potuissent su-  
stinere. Ut interim taceam quā  
sæpe à Germanis, qui tunc non Im-  
peratorem, sed suos tantum habe-  
bant Regulos, illi Imperij honore su-  
perbi, & de Barbaris triumphare  
soliti, fuerint cæsi & fugati. Quos  
exercitatissimorum militum millia à  
Vindelicis & Rhetis, antequam  
ingum subire vellent, fusa & in fu-  
gam conuersa fuerunt? Nonne in  
Westphalia Quinctilius Varus, qui  
eò ab Augusto Cesare erat missus, vt  
regionem illam Romano adijceret  
Imperio, eum tribus optimorum ve-  
teranorum legionibus ab Harminio  
(qui nunc Hermannus nominare-  
tur) fuit interfectus? Qua clade  
ita tradunt consternatum fuisse Au-  
gustum, vt sæpe exclamaret, Quin-  
ctili redde legiones. Nec immeritò.  
metuebat enim ne Harminius recta  
in Italiam transfret, quemadmodum  
olim Cimbri fecerant. Hac ratio-  
ne factum est quo minus id patere-  
tur vniuersa Germania, quod cete-  
ra gentes, quæ à Romanis domite  
fuerunt. Idem etiamnum hodie  
efficere posset, & Turcarum Impe-  
ratori quantumuis potentissimo mo-  
narchæ terrorem incutere, si vires  
coniungeret. Et si autem in hac



horrenda opinionum confusione vix sperari posset, ut coniunctis viribus unam religionem & patriæ libertatem tueantur; tamen nescio quo fato imperium, quod nunc penes Germanos est, etiamnum Romanum appellatur, ut verè videatur dixisse Poeta,

Roma tuum nomen terris fatale regendis.

Sic etiam non videtur sine diuina providentia contingere, quòd multi etiamnum Germaniæ Principes veteris Romani Ecclesiæ doctrinam totis viribus defendant, & pro illius salute se suaque omnia in summum adducere discrimen non vereantur. Quorum in numero Illustriß. Celsitudo tua principem sibi locum suo iure vindicare potest. Nulla enim

regio,

non tantum apud Germanos, sed exteros etiam, tam est religioni Catholici addicta, nulla equioribus regitur legibus, quam BAVARIA. Neque verò hoc mirum cuiquam videri potest, cum Illustriß. C. T. inter ceteros omni laude dignissimos consilio utatur D. Simonis Eckij Cancellarij, & D. Erasmi Vendiij virtute, sapientia, & doctrina præstantium virorum, de quibus meritò, ut olim de Amphiarao, dici posset, quòd non videri boni sed esse velint, profundum sapientiæ sulcum ducentes, unde recta nascuntur consilia. Quo fit, ut illustrissimam Celsitudinem tuam, ut bonum patrem, ament subditi, mirentur exteri, metuant hostes. Quid de Academia Ingolstadiensi dicam, in qua tot in omni

A 4

scien-

Scientiarum genere doctissimi viri liberalibus fouentur stipendijs, quot vix alibi reperiuntur discipuli. Inter illos ne vnus quidem reperiri posset, qui pro matre Ecclesia capitis discrimen adire recusaret. Hoc ego ex fide dignissimorum hominum sermone affirmare sine rubore possem, nisi multa quotidie emitterent scripta, quibus satis declarant, & vniuersæ posteritati declaraturi sunt quales sint viri. Quare illorum, qui meo præconio neutiquam egent, laudibus super sedeo, ne videar Illustrissimæ C. T. adulari. Vnum dicam, placere hîc omnibus doctis Hannardi Gamerij Bucolica, propter compositionis facilitatem, linguæ puritatem & argumenti: nam quid pueris, hoc præsertim tempore, utilius propo-

proponi posset, quàm illud carmen, quod non tantùm linguam, sed animum quoque formare potest? Quænam est Hæreticorum cohors, quam ipse non ingeniosè attingit; adèd vt pueri lecto statim libro ab illorum sententia tanquam à serpente abhorrere cogantur? Hæc cum rogatu grauissimorum virorum in gratiam studiosorum typis meis describerem, volui ijs hanc qualemcumque præfatiunculam ad illustrissim. C. T. præfigere; vt liber ad eum, unde profectus, & cuius liberalitate conscriptus fuit, redeat. Rogo autem Illustriss. C. T. vt hanc meam audaciam in bonam partem accipere, & mea opera, quacunque in re commodum erit, vt dignetur. Quod si C. T. fecerit, re ipsa experietur,

*rietur, neque fidem, neque diligentiam mihi defuisse. Deus Illustriss. C. T. Ecclesie suae diu incolumem seruet. Antuerpiae ex Typographæo nostro kal. Martijs. Anno Clō. Id. LXVIII.*

*Illustriss. Celsitudini tuae  
addictissimus*

*seruulus*

*Ch. Plantinus.*

AD SERENISSIMVM ATQVE ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM, AC DOMINVM D. ALBERTVM, COMITEM PALATINVM RHENI, & vtriusque Bauarię Ducem, &c. Dominum suum Clementissimum.



LETTERA Gauerij te Dux  
ALBERTE salutæ,  
Teq; vocat Dominum, si pati-  
tiare, suum.

Et velit ipsa meas tibi commen-  
dare capellas,

*Si forsan stabuli pars vacet vlla tui.  
Exiguo pecori paruum debetur ouile,  
Bos stabulum placidas non capit inier oues.  
Effugiunt sumæ taurorum septa capelle,  
Gaudentes socio credere membra Lari.  
Scilicet in cunctis Natura cursibus ordo,  
Cum pare coniungi par animante iubet.  
Et docet elatum plures Phaëtonta secutos,  
Maxima fortune cernere damna sua.  
Hinc ego ne videar casurus in athera ferri,*

*Posco*

EPISTOLA

Posco mihi vilem, Dux generose, locum.  
 Et peto Bucolicos te Macenate libellos  
 Cantandos pueris virginibusq<sub>2</sub> dare.  
 Est ( fateor ) paruum doctisq<sub>2</sub> paratibus impar,  
 Quodq<sub>2</sub> patrocinium vix mereatur, opus.  
 Sed tamen vt faueas, Dux illustrissime, vati,  
 Aut cupio libros vt tueare meos.  
 Pollio Virgilij pastoris dicta recepit,  
 Sinichida tutor Rex Ptolomeus erat.  
 Alter erat Græcè qui parua poemata fecit,  
 Alter qui Latio transtulit illa sono.  
 Nam quæ Virgilius de Græco plurima vertit,  
 Antè Syracusij carmina vatis erant.  
 Non velut interpres, sed vt amulus, ille magistrum,  
 Vocibus & calamis reddit vbique suum.  
 Huius ad exemplum de Graijs multa poetis,  
 Traduxi Latio verba legenda modo.  
 Sic tamen vt semper ( ne par cum dispere pugnet )  
 Materie videar consuluisse meæ.  
 Non etenim facio vexato carmen Ulyssi,  
 Nec cano sublimi tristia bella pede.  
 Pastor oues curo, quas ipse Theocritus egit,  
 Cuius in hoc libro carmen vbique sequor.  
 Pastor oues seruans pastorum carmina dicto,  
 Vt Maro quem voluit nostra Thalia ducem.  
 Non ego diuino mea comparo scripta Maroni,  
 Stultitia crimen laus habet illa sua.  
 Nam licet iste mihi fingendus ponitur auctor,

Quæ

DEDICATORIA.

Quod sequor, exemplo sum minor ipse meo.  
 Nec mihi sufficiunt in talia carmina vires,  
 Optima Virgilius carmina solus habet.  
 Nec mihi tanta peto, populo ridendus ab omni,  
 O vimam minima præmia laude feram.  
 Sed mea quid proffit formandæ cura iuuentæ,  
 Iudicet Aonijs turba diserta chori.  
 Non ego me laudo, neque nostros culpo labores,  
 Viraq<sub>2</sub> pars vitio paret inepta suo.  
 Affirmare tamen sub iniquo iudice possum,  
 Quod videar ducibus purior ipse meis.  
 Ambo canunt Veneris lasciuia turpiter ignes,  
 Signaq<sub>2</sub> non oculis conspicienda bonis.  
 Ambo canunt pueros, & quos pudet addere, mores,  
 Visaq<sub>2</sub> materia facta nefanda meæ.  
 Ast ego pastorum veritos auersor amores,  
 Et fugio veri nescia monstra Dei.  
 Inq<sub>2</sub> scholis possunt tuò meæ scripta doceri,  
 A pueris tuò, virginibusq<sub>2</sub> legi.  
 Castus amor meus est, & nostri causa furoris  
 Praeficitur Musæ Christus Apollo meæ.  
 Hoc duce digna dedi puer alto verba cothurno,  
 Ingenij specimen, primitiasq<sub>2</sub> mei.  
 Hoc duce Bucolicos tibi nunc ego dedico libros,  
 O Pater & Patria gloria prima tua.  
 Hoc duce descripsi Gulielmi carmine sumus,  
 Principis & Patris, Dux generose, tui.

Quæ

EPISTOLA DEDICAT.

*Qui velut antiqua vixit pietatis amator,  
Sic cupio scriptis pondus adesse meis.*

*Ingolstadij. Anno millesimo quingentesimo  
sexagesimo quinto, ipsis kal.  
Aprilis.*

*Serenissima ac Illustrissima tua Cel-  
situdini deditissimus,*

*Hannardus Gamevius in tua  
Academia Professor.*

# HANNARDI GA-

MERII MOSEI BV-  
COLICA.

TREVIR.

ECLOGA PRIMA.

VRBANVS. RVSTICVS.



VRSTICE, cum nostri lau-  
dent hac rura Coloni,  
Cumque satis gleba pinguescat  
ab vbere tellus:  
Quid natale solum, quid rura  
paterna relinquens,

Incautum moliris iter? qui deius errans  
Pergis, & ignotum tendis peregrinus ad orbem.

RVSTICVS.

Inuitus (fateor) patria discedere terra  
Cogor, & inuitum cogo pecus. Ecce capella  
Respicens flentem casus (puto) conscia nostri  
Balat, & assuetas tristem se vertit in oras.  
Dulcis amor patriæ, desideriumque locorum  
Tangit oves, tangit pecudes, pecudumq; magistros:  
Me quoque sollicitant, & habet mea pectora cura,  
Mæque tenent altis labentes montibus amnes  
O quondam studij solatia dulcia nostri.

VRBANVS.

Triste fit exilium senio, fit triste iuuenta.

B

Non

LIBER.

*Sic cano paganos, vt sim ciuiliſ, amores:  
Sic iocor, vt ſapiant ſeria dicta ioci.  
Paſtores ſiquidem vera pietatis amantes  
Romana famulos ſimplicitatis amo.*

Omni etati  
durum & tri-  
ste exilium.  
Senectus est  
per se onus.

Non igitur mirum, si te via longa fatigans  
Decrepitum subigat, qua nunc deterreret euntem:  
Vt pote manè tua carmen meditatus auena  
Educens pecudes, calamos inflare peritus  
Vespere cum saturis soleas ad ouile reuerti,  
Indocilis tristes noctis perferre labores:  
Sed tamen auctorem tantæ tibi cladis, & ira  
(Si modò non longum fuerit) da, Rustice, nobis.

## R V S T I C V S.

Auctor is incertus, nec quid de nomine constat.  
Me quoque non solùm (ne quis te nescius error  
Felicem moneat præ nobis posse vocari)  
Sed reliquos eadem ciues Fortuna manebit.

## V R B A N V S.

Augurium.

Mirabar tacitè varij suspiria luctus,  
Garrula quid tantis iteraret vocibus Echo,  
Quid due Deos toties pastorica turba rogaret.  
Id quoque (iam memini) serali carmine bubo,  
Et strepitans mæsta prædixit ab arbore cornix.  
Interea nostro communia signa dolori,  
Et causam certis aliquam rationibus ede.

## R V S T I C V S.

Ille Deus patria dudum fiducia nostra,  
Et pater ingrata semper fidiſſimus vrbi,  
Numinis oblitis Trebeta ciuibus acer  
Dicitur, exitum populo, gentique minatus,  
Huc exercitiis nunc aduentare coactis.

## V R B A N V S.

In caput ergo suum labentia flumina retrò  
Rhenus ager, cursuſque suos deducet ad Alpes,

scilicet ad  
vocat.

Inq̃

Inq̃ suos fontes conuersa Mosella redibit,  
Ac obscura faces producet Luna diei,  
Et sol nocturnis lucens inseruiet horis.  
Nam quoties eius nobis succurrit imago,  
Et virtutis honos, & amor pietatis in illo,  
Plurima cum vera qua religione relucet:  
Rustice, non dubito, quin te sententia fallat.

## R V S T I C V S.

Est pius, & nusquam terrarum mitius orbis  
Numen alit, nec habet quicquid, quod præferat illi.  
Sed tamen ex nimia solet improbitate suorum,  
Principis impatiens scelerum clementia vinci,  
Ad penamque suos velut irritata vocare.  
Sic, Urbane, ferox gens iusti Principis iram  
Sentiet, & quid sit, Pygmaeum dispare frustra  
Cum grye victrici pugnam committere, discet.

Laus Reue-  
rendiss. Ar-  
chiepiscopi  
Treurenſis.

Subditorum  
malitia Prin-  
cipes ad vindi-  
ctam prouoc-  
cat.

Pygmaei cum  
gryibus cer-  
tatio.

## V R B A N V S.

Ah ciues, ciues, quis vos malè fascinat error?  
Quis malus inter vos discordia semina litis  
lactat, & obliquo vos tramite ducit euntes?  
Consilij, sanæq̃ simul rationis egentes?  
Supplicibus dominum votis exposcite pacem,  
Dummodò sic ea sunt, vt dicere Rusticus audeat.

## R V S T I C V S.

Vera tibi refero, neque me sententia fallit.  
Nam postquam subito properarem lentus ad vrbe, Festinare  
Casculos gestans, niueique coagula lactis, lentè.  
Alconem tremulum, flentemque Palamona vidi:  
Quos cum tristitiae causam, luctusque rogassem,  
Corda manu feriens, flentem flens acrius Alcon,

*Sic, affatus, ait: Nos vltima fata morantur:  
Sed neque spes miseris pastoribus vlla superstes.  
Hic est ille dies, & inexorabile fatum,*

*Quo, quem Romani bello superare, vel Indi  
Vix potuerunt, velit se vincens perdere Treuir.*

*En, qui mitis erat, iam cœpit durior esse:*

*Quique suis Deus antè fuit, lupus esse videtur.*

*Noster enim Princeps furiosa percussus ira  
Adueniens equitum, peditumq. sequente caterua  
Funditus antiquam proanorum destruet urbem,  
Ausus in aduersos ferrum conuertere ciues.*

*Non tamen est illi tam regni dira cupido,  
Vt ciues, animi suadente Tyrannide, cogat:*

*At à præcipua mutati parte senatus,  
Et procerum studio, qui coniurasse videntur,  
Ducitur, ac veluti quadam vi fertur in hostes.*

*Rustice, (mox addit) pistoris filius hic est;  
Bestia lactenti cui præbuit vbera caluens,  
Qui verè lacerans nostros pietatis honores  
Abrogat, is docuit, diuerso more colendos  
Esse Deos, aliãque viam monstrauit habendam,  
Iura, fidemque Deum simul aspernatur, & odit,  
Principis oblitus ter dicta capessere iussa  
Negligit, & populum non legibus instruit aquis.*

## V R B A N V S.

*Iusta quidem satis est offensi Principis ira:  
Sed nos, ô miseri, procerum commissa luemus.  
Improbis has segetes, hæc iugera miles habebit,  
Hæc domus, hæc ferro casa consumetur, & igni,  
Et miser hinc alias vadam peregrinus ad vrbes,*

L i n q u e r e

*Linquere cum patria mea propria regna coactus?  
Rusticus hinc hodie, tu cras Urbane sequeris.  
Sed tamen hac mecum recubās tantisper in vmbra.  
Donec flagrantes sol inclinauerit æstus,  
Nunc, velut antè soles, dic blandū, Rustice, carmen.*

## R V S T I C V S.

*Ab nimium nostros cecini iuueniliter ignes,  
Cum docui summas resonare Corallida siluas:  
Tunc felix tenui modulatus arundine carmen  
Gratus eram Musis, quibus & mea carmina curæ,  
Et, veluti magno cum pondere dicta, fuerunt:  
At, quia me profugum fortuna cernit iniqua  
Sorte premi, pecudumq. nouos abducere factus,  
Nunc sese nostro subaicit Musa labori.*

## V R B A N V S.

*Dent igitur superi placidam per secula pacem,  
Adq. tuos iterum sub patria tecta redire:  
Sic & amicitias, ablata Principis ira,  
Et reduces parili iungemus pectora nexu.*

## M E R C E N A R I V S.

## E C L O G A S E C V N D A.

## Æ G O N E T A M Y N T A S.

*E S S E quid hoc dicā? quodd tu securus Amyntæ  
Solutus & in siluis, & in altis montibus errans,  
Asterius fidei committis ouilia serui?  
Ah quasi Damæta fraudes, & furtiva maligni  
Pectore labantur, qui, me sectante Nearam,*

B 3

A s s i d u e

Homo homi-  
ni Deus.  
Homo homi-  
ni lupus.  
Homo etiam  
hominum Cro-  
codilus.

Horat.  
Quicquid de-  
lirant reges,  
plectuntur  
Achiui.

Allusio ad Io-  
cum Virgilia-  
næ Eclogæ  
tertiaz.



*Afsidue pecoris commiffi velleræ ficcans  
Lac matrum teneris olim fubduxerat agnis.*

## AMYNTAS.

*Inuifi capitis cum crimine facta recordor,  
Et repetens noftro Damoeta pectore furtum,  
Quod vercor, patior. Nam res alienus in agris  
Pafior agit noftros, qui tantum forfan ouili,  
Quantum littoribus currentia flumina parcunt.*

## ÆGON.

*Vt iuuenes proprijs lactentes matribus hadi:  
Vt lupus armentis: vt apes florentibus herbis:  
Vt q̄ solo terris animalia noxia talpa:  
Vt Boreas fluius: vt parcunt frugibus imbres:  
Sic pecus ille tuum custos mulgere veretur.  
Non aliena loquor. Nam, cum poft septa latebam,  
His oculis vidi, pulfis à matribus hadis,  
Ad mulctram quodd oves vna bis cogeret hora.*

## AMYNTAS.

*Ergo nihil veteri confiflet in ordine certum,  
Sed fua mutabit Parcarum numina fatum:  
Iam genitrix natum, iam prodet filia matrem.  
Oderit, & fugiet cybifum, falicæque capella:  
Iam metuent armenta lupi, lupus ipfe leanas  
Diliget Armenias, & equos iam gryphes amabunt:  
Omnia natura curfus oblita priores  
Retrò lapsa ruent: fi me tamen ille fefellit,  
Credita cum noftros qui fcit mea seria nugis.*

## ÆGON.

*Forfitan illius ludos, & feria nofti.*

AMYNTAS.

## AMYNTAS.

*Vt mea, fic eius mihi pectora nota fuerunt.  
Sed, fi vera refers, verum fimulaffe putabo.*

## ÆGON.

*Nec fimulaffe puta, nec tu diffide fodali,  
Sed nec amicitia præfer mea fomnia veftra.  
Nam me fæpe fuo fruflrantur lumina vifit,  
Et mala fynceras corrumpit opinio mentes.  
Ne tamen ille tibi velit impofuiffe videri,  
Sæpe tibi veros imitantia pectora vultus,  
Ac animo notum tentare licebit amicum.  
Hinc in amicitia feruandas nofcere leges,  
Et præcepta dedit grandæui Mufa Comatæ,  
Talia qui quercus in cortice falce notauit:  
Par amor: vna fides: nufquam diuerfa voluntas:  
Mens hominis fyncera boni: mens confcia recti:  
Expers lingua doli: fidum teftantur amorem.*

## AMYNTAS.

*Carmina funt equidem Phœbea munere lauri,  
Et fimul auratis depingi digna tabellis:  
Sed mihi tu flammas gellare videris, & vndam:  
Et nocitura, fcians res affirmare negatas,  
Panibus oftentis, fub vefte recondere saxa.*

## ÆGON.

*Acribus Aegonem dictis mordere caueto.  
Non mea pollicitis contraria facta repugnant,  
Non monitis arcana meis captare laboro.  
Nam neque blanditijs, neque noui fallere verbis.  
Quæ verò vetuli pafcentis facta Menalca,  
Non tibi quantumuis præfens foret, ipfe negaret:*

B 4

Nona

Sinceritatem  
tollit falſa de  
aliquo per-  
ſuaſio.

Modus veræ  
noſcendæ  
amicitiæ.

Ignis & aqua  
feruare.  
Altera manū  
lapidem tene  
re, altera pa-  
nem oftende-  
re.

Alluſio ad  
mulierē Ale-  
marianā quæ  
ſuum filium  
prodidit iu-  
ſtum & inſon-  
rem.  
Vide noſtrū  
de Eccleſiæ  
Catholicæ  
querimonia  
carmen.

*Non neget hoc, etiam, si praesto Phyllis adesset,  
A grege depulso quae vimine terruit agnos.*

AMYNTAS.

*Ergone sic pecoris desiccata vellera nostri?*

ÆGON.

*Ordine sic omnes sero sub vespere mulget,  
Lactis ut in toto grege nusquam gutta supersit:  
Sed tamen insignes non tangit cornibus hircos.  
Qui misero dominum maesti clamore vocantes  
Vix obiecta suis libantes pabula labris  
Olfaciunt summas admotis naribus herbas:  
Et nisi cum teneris pascantur rore cicadis,  
Mox venient diris sperata cadauera coruis.*

AMYNTAS.

*Infelix domini pecus infelicitis Amyntae,  
Qui miser in silvis fugientem Phyllida captans  
Anxius in medio vitæ discrimine versor.  
Nam male fallaci dum mens intenta puella  
Disposuit frustra capiendæ retia prædæ,  
Irrita cum nostro percunt impensa labore.  
Sed precor, an pecudes vna cum Phyllide pascit?*

ÆGON.

*Solus apud solam cum solo sola moratur.*

AMYNTAS.

*An, precor, huic etiam consuescere Phyllida credis?*

ÆGON.

*Ipsa fidem dubijs facit experientia rebus.*

AMYNTAS.

*Dic, in eis aliquem si forte notabis amorem.*

ÆGON.

ÆGON.

*Scis montem Veteris profitentem nomina Villa?  
Scilicet hunc propter sacro fluit agmine riuus,  
Qui potus teneris fertur prodesse Poetis.*

AMYNTAS.

*Id scio. Fac breuibus rerum compendia verbis.*

ÆGON.

*Huc ego dum nostras potum deduco capellas,  
Arbor ut à Zephyro leuiter solet acta moueri,  
Sentire sub viridi luctari corpora musco.  
Consistensque parum, demiratusque quid esset,  
Accedens propius prostratam Phyllida noui,  
Et proni pariter conspexi terga Menalce:  
Et scelus, exclamo, domini sic pascis ouile?  
Sic miseræ defendis oues? quas ipse luporum  
More vorax auidam custos demittis in aluum?  
Nonne tibi sat erat fraudatus lacte magister,  
Quod bis ab inuitis besterna luce trahebas,  
Debebas etiam pastu fraudare capellas?  
Quid dominus dicet, postquam resciscet, Amyntas?  
Improbe, quo poteris verbo defendere crimen?  
Improbe quid dices? Blandas fouisse puellas?  
O pecoris custos, ò cura fidelis Amyntæ,  
Sic ego cum dixi multis conuitia verbis,  
Ille nihil contra: sed cum discedere vellem,  
Dona sibi Phyllis rupta pro veste poposcit.  
Cetera quæ restant, cum veneris, ipse videbis:  
Me vocat ad studium mediæ pars acta diei.*

AMYNTAS.

*Hei, iam nulla salus, iam nulla potentia restat:*

B 5

Omnis

Hircos mul-  
gere.  
Signa morbi  
in ouibus &  
capris.

Oleum & o-  
peram per-  
dere.

Experientia  
traditionibus  
dubijs fidem  
facit.

Quem lupus  
committere.

IO MISERIA

Fratri quo-  
que gratia  
rara.

Omnis in orbe fides perijt, fraus regnat vbique:  
Vix etiam postis tuto quid credere fratri.  
Nam modo cōiunctam laudē cum fraude videmus.  
Felices anima, quibus ævo iusta priori  
Vltro sequi placuit, cum mutuus ardor amicos;  
Cum sine lite suos habuit concordia fratres:  
Cum pariter rebus fuit omnibus vna voluntas.  
O vitam nostro redeant ea tempora seculo:  
O liceat tali sub sidere ducere vitam:  
O vitam nostros maneat ea fata nepotes.  
Ast ego nequicquam voces cum tempore perdo,  
Qui bona fata meis olim ventura requiro:  
Cum videam duras nasci pro frugibus herbas,  
Tempora temporibus peiora prioribus ire,  
Ac in deterius semper presentia ferri.

MISERIA.

ECLOGA TERTIA.

Poeta præfatur.

Allusio ad  
cantionē que  
Christo nato  
per aliquot  
iterationes  
canitur.

FESTA celebrabant homines natalia Christi,  
Ad templūque Deo pueris cantantibus, Eia,  
Vestibus intactis lætum se quisque ferebat:  
Cum miser insani fugiens spectacula vulgi  
Tranna minus cultus nigro latiret in antro.  
Cuius vt ex animo Corydon suspiria rumpi  
Audierat, veterem sic compellabat amicum.  
CORYDON.

Tranna, mihi socio cum sis deuinctus amore,  
Tabida quid mæsto consumis pectora. luctu?

Quid

ECLOGA TERTIA. II

Quid refugis populum? quid stulto corda pudore,  
Et percussa metu vano, timidissime, gestas?  
Ab miser, ab nescis, quod qui pudor optima virtus  
Debit impositos nunquam transcendere fines?  
Omnibus adde modū, modus est seruandus vbique,  
Quo sine res hominum, ceu non condita, putrescit.

Pudor in ho-  
mine virtus  
optima.

Modus rerū  
humanarum  
condimētum  
est optimum.

TRANNA.

Nunc memini, Corydon, quod respondere solebas,  
Si tua quis placidis leniret pectora verbis,  
Mortuus in stabulis postquam caper vnus, & alter  
Faucibus obstructis ad ouilia manē iaceret:  
Sape dat aduersis luctanti rebus amico  
Vtile consilium verbi vicinia diues,  
Que sibi non saperet, si fors aduersa minetur.

Aegrotis sani  
facile bonum  
& sanum dat  
consilium.

GORYDON.

At scio nunc voces, quas tunc ridere videbar,  
Pondus habere tuas. Nam, quæ sublata dolebam,  
Nunc armenta Deus cum duplici sœnore reddit.  
Multa per Vranios mihi bucula pascitur agros:  
Mille mihi summis errant in montibus agni:  
Mille domi seruo clausos à matribus hados,  
Et passim taciti grauida conduntur in aluo:  
Hac quoque nocte mihi mater dedit vna gemellos,  
Qui modò lactanti dependet ab vbere sætus.

Agni hiberno  
tempore editi  
sunt optimi.

TRANNA.

O te felicem, cui fors tam contigit æqua,  
Qui diues pecoris, niuei qui lactis abundans,  
Plurima cum fructu qui commoda percipis illo  
Tempore, quo glacie cursus frœnantur aquarum,  
Qualia vel medio nullus perceperit æstu.

CORY-

## CORYDON.

Gratia sit puero, cui nos hac festa dicamus,  
 Laus sit in excelsis calorū tractibus Vni,  
 Et decus, & Maria digni tribuantur honores:  
 Qui mihi fortunam, mutata sorte, beatam  
 Vltro suppeditant, & magnis parua rependant.  
 Hanc quoq; , quam ducis, vitā mutabit acerbam,  
 Mutatāque Deus fato meliore notabit,  
 Si tua spes domino defixa moretur in illo,  
 Qui sibi fidentes nunquam frustratur amicos.  
 Quare ne dubites, rerum carissime Tranna,  
 Neue recusantem post te mora longa retardet:  
 Quid minus ad templum subito comiteris euntem:  
 Nam decus, & tanto debetur gloria festo.  
 Ipse pater patria laus, & fiducia nostra  
 Nocte celebrandis puero solemnibus astans  
 Cantibus, immotus sacra permansit in aede  
 Plus quā continuas, mihi credito, quatuor horas.

## TRANNA.

Non ego tam celebri sua detraho prēmia festo,  
 Nec mea lingua diem sacrum vesana profanat:  
 Sed probo seruata meritis pietatis honores,  
 Sacra pie decorans praesenti numina mente,  
 Quandoquidem non est accedere corpore tutum.  
 Ipse vides quam me fortuna coërceat agrum,  
 Quā mea pauperies tristantis pectora vexet.  
 En laceras vestes, & , quas collegimus ipsi  
 In nodum caligas, nulla qua parte coherent.  
 En quibus in soleis mihi frigore durus, & asper,  
 Turgidus, & vehemens pes hulcere crudus abūdet,

Quem

Pietas episco-  
 pi Treuiren-  
 sis. Vide Ec-  
 logam 1.

Quem vix restituat multis Podalyrius herbis.  
 Corporis haec, Corydon, sunt infortunia nostri,  
 A sacris iunidum qua me penetralibus arcent.

## CORYDON.

Magna quidem res est integri viribus vti  
 Corporis, & longa sortiri prēmia vitæ.  
 Sed quibus hoc fuerit dono gaudere negatum,  
 Hos peritura bonis aeternæ commoda mentis  
 Metiri decet, & praesens æquare futuro.  
 Dic agē, si fueris patris ditissimus haeres,  
 Si dos magna satis dilecta coniugis esset,  
 Si tibi mors veniat multorum grata vivorum,  
 Quæ vel diuitias vel nummis impleat arcam,  
 Aut tibi si magnus pendat stipendia Caesar,  
 Qualia diuinus possedit Tityrus olim,  
 Tityrus obseruans distentas lacte capellas,  
 Tityrus eximius Pastorum gloria vates:  
 Denique si rerum sit copia magna tuarum,  
 Si teneas pecudes, hortos, rus, praedia, villas:  
 Et tua si secum facti mens conscia pugnet:  
 Quorsum diuitia? quorsum tot millia nummū?  
 Quid pecudes prosint? quid copia magna peculi?  
 Quidue iuuet agri: quid pinguis terra? quid aurū?  
 Mortuus in tumulo postquam sis conditus atro,  
 Aut etiam viuus postquam de morte resurgas.  
 Nam Deus est iudex, qui pacis amator, & æqui:  
 Prēmia virtutis non auri pondera curat:  
 Sed nec opes nec opum faciunt discrimina manes.  
 Contra si qua tuo regnat sub pectore, virtus  
 Fida comes socio non interitura manebit.

Virtus etiam  
 mortuos co-  
 mitatur.

Nam

Nam mortis superant anima virtute dolores,  
Séque probare suis tantum virtutibus audent.

Quare diuitias, quibus hic metimur honores,

Quis vetet aternis animi postponere donis?

Quæ decorant homines, ac reddunt sola beatos:

Homo bulla. Cum subitò pereant, vanaq; simillima bulla  
Omnia (si bona sunt) fragilis bona corporis, extent.  
Hæc ego cum moneam, posses me Tranna docere,  
Scilicet hæc melius: sed & his me plura nosti.

## TRANNA.

Et scio: sed vereor nostratis sibila gentis

Improba, si forsan casus non conscia nostri

Iactitet insana de me conuitia lingua.

„ Nam sortem ridere senum; contemnere canos;

„ Certatim miseris illudere; maxima laus est.

## CORYDON.

Sit licet immitis populi pars maxima nostri,

Et, tanquam pelagi scopulis oriunda marinis,

Dura gerat silicis circum præcordia venas:

Verba tamen socij casum miserata fidelis

Multa dolens animo de te narrare solebat,

Quæ certis aliquem signis testentur amorem.

Ne verò timeas stulti ludibria vulgi,

Sunt mihi, quas dono factis pro versibus olim

Alno dedit, vestes: harum tibi commodus vsus

Donec agat vestras felicior aura carinas,

Largiar, vt miserum serues à frigore corpus.

## TRANNA.

Ergo pudor valeas, audacia vince pudorem.

Nam templum socius fidi Corydonis adibo:

Quem

Quem, precor, aternas in præsentibus vitam  
Ducere participem plura post secula pacis.

## RELIGIO.

## ECLOGA QUARTA.

Poeta loquitur.

DAPHNIDIS, & Mopsi de religione que-  
relas,

Nymphis, & Satyris notas agrestibus edam:

Qui patria profugi spretos pietatis honores,

Destructasque simul sacris cum turribus aras,

Et veteres cultus sic inclamare solebant.

Hos autem versus Mopsus referēbat: at illos

Continuo factos subiecit in ordine Daphnis.

## MOPSVS.

Argentina viget claris argentea rebus,

Diuitijs locuples, studijs asperrima belli,

Aedibus alma suis, quas diuitis accola Rheni

Incolit ex toto fortissima corpora mundo.

Hic ab Apostolica cum religione viderem

Diuersam recipi: De Batti nomine gentem,

Et perij toto diuisos orbe Britannos.

Sed superis abiens tales de pectore voces,

Verbaque pro patria nil proficientia fudi:

Redde pater patriam satis melioribus urbem.

Extorres miseri patrijs è sinibus errant,

Discurrunt, fugiunt, & ab omni parte premuntur,

Ridentur pariter, qui nos docuere, priores,

Qui rectas sine fraude vias duxere ministri:

Pro

Pro quibus hac homines faciunt male sacra profani,  
 Qui, pia dum lacerant eus monumenta prioris,  
 Pro sacris perhibent dira conuitia lingua,  
 Proque fatiis aloe, & dant pro melle venenum,  
 Tristitia pro letis, pro veris falsa ministrant.

Redde pater patriam fatiis melioribus urbem.  
 Nulla fides, & nulla salus, spes nulla salutis,  
 Nulla viris pietas, nec amor pietatis in illis.  
 Denique nec virtus nostra dux optima vita,  
 Sed neque sunt illis virtutis premia cura.  
 Otia contemnunt placida gratissima pacis,  
 Bella canunt, & bella mouent, & bella minantur.  
 Horrida quaeque sonant, & plenis vndiq. buccis  
 Proelia commendant, Reges hortantur ad arma,  
 Terraque civili fusum bibit ense cruorem.

Redde pater patriam fatiis melioribus urbem.  
 Plurima disjungunt, quae coniungenda fuissent,  
 Plurima natura praepostera legibus ire,  
 Plurima coniungi secum pugnantia cogunt.  
 Denique mutato currentibus ordine fatiis,  
 Omnia confundunt, tenebras pro lumine vendunt,  
 Commutantque dies obscura nocte serenos:  
 Et caelo terras, & siccis humida miscent,  
 Et populo superas cum Christi sedibus arces  
 Polliciti roties, Plutonis ad atria tendunt.

Redde pater patriam fatiis melioribus urbem.  
 A Ioue magnorum pendet sententia Regum.  
 Hinc nisi forte velis humanam perdere gentem,  
 Surge, ser auxilium, populo succurre iacenti:  
 Eripe captiuos & vincula rumpe malorum:

Instaur-

Instauraturis veteris pietatis honorem,  
 Mi Deus, aufer opem: sed vim lacerantibus aufer.  
 Et procerum flectens demisso numine corda;  
 Ut rursus fieri, mutata mente senatus,  
 Intermissa diu videant sua festa penates:

Redde pater patriam fatiis melioribus urbem.

## DAPHNIS.

Alta Semiramidis placida vicina Mosella  
 Mœnia, quae fidei plenus clarissima Treuir  
 Nobilis, & pariter noti colit ordinis hæres,  
 Pignora sunt anima semper carissima nostrae.  
 Editus hic ego sum, patria nutritus in ista,  
 Molliter hic vitam secura per otia duxi,  
 Donec ab Herculeo Respublica tacta veneno  
 (Hei mihi) deficiens a religione piorum  
 Imperij Domino clauis incauta negauit.

Malum Her-  
culeum.

Tollite Caluinum, pia numina, tollite Bezam.  
 Excipit infelix natum pistore Senatus,  
 Perniciem populi, corruptoremque bonorum:  
 Qui (quia Doctor erat) veram Dialecticis artibus  
 Argumentandi, disceptandique doceret.  
 Ille professoris mores oblitus, & usum,  
 Propositi fines longè transcendit, & vltra  
 Progreditur pulchra simulator imaginis, artem.  
 Nam mala peruersa doctrine semina spargens  
 Reicit à Christi Romanos ordine cultus.

Gaspar Arto-  
peus Oliuia-  
nus.

Tollite Caluinum pia numina, tollite Bezam.  
 Huius causa mali rerum nequissimus auctor,  
 Perfidia Princeps, & seditionis alumnus  
 Extitit hortator sceleris Caluinus iniqui,

C

Turpiter

Caelo terras  
permiscere.

Turpiter in vetitos olim pracliuus amores.  
 Ad quem (nam faciunt etiam collegia scurra)  
 Militia sectator adit, qui Bez a priore  
 Caluino peior fædos decantat amores,  
 Et versu proprios dicit meretricius ignes  
 Impius omnino iuris contempitor, & aequi.

Tollite Caluinum, pia numina, tollite Bez am.  
 Publica priuatis miscere negotia rebus,  
 E medio Christi diuinas tollere leges,  
 Et pariter legum subuertere iura periti,  
 Per fas, perque nefas illud conantur, & vrgent,  
 Vt vacuo Reges ipsi dominantur in orbe.  
 Deturbant proprijs magnas de sedibus vrbes,  
 Efficiunt dirum de miti Rege Tyrannum,  
 Infestantque pios, nec non pietatis amantes,

Derisus. v. f. 117. Qui socij carum nomen profitentur Iesu.  
 Tollite Caluinum pia numina, tollite Bez am.  
 Hinc mala de fato sententia praeualet aqua:  
 Hinc hominis verè qua libera debuit esse,  
 Huius interpretibus debet seruire voluntas:  
 Hinc ego cum multis alijs pastoribus exui  
 Caca peregrinos vestigia duco per agros.  
 At vos, (nam video Gallorum regna moderi,  
 Et regni pariter verri de cardine postes)  
 Vt dulcem foueat concors Respublica pacem,  
 Vtq; meos iterum videam cum Principe ciues,  
 Tollite Caluinum pia numina, tollite Bez am.

Prædestina-  
 tio.  
 Libertum ar-  
 bitrium.

CO-

TITYRE Castalij doctissime carminis auctor,  
 Hic viuæ gelidi surgunt ab origine fontes:  
 Hic nobis faciles dant sibila dulcèa venti:  
 Hic resident picti siluarum numina Panes:  
 Hic viola molles: hic candida lilia florent:  
 Hic quoque purpureis crescit Narcissus in herbis:  
 Hic laurus, Venerisque frutex in litore Myrtus  
 Surgit, & ornandis pulcherrima pinus in hortis:  
 Hic auium strepitu resonant virgulta canoro:  
 Hic dat amica suas semper Philomela querelas.  
 Quid loquar ulterius? Musis aptissima sedes,  
 Et locus est solis dignissimus iste poetis:  
 Et certè faciunt illo te carmina dignum.  
 Nam tu, quem meritò numerat à Pape secundum,  
 Nunquam difficili modulatus arundine magnum  
 Diceris ipse tuum calamis equare magistrum.  
 Arboris hæc igitur mecum prostratus in vmbra  
 (Si graue non fuerit) siluestri, Tityre, cantu,  
 Altius inceptos nuper repetamus amores.

TITYRVS.

O Melibœe, mihi lenis est ea cura grauato:  
 Nam cruciant nostram maiora pericula mentem.  
 Si tamen est, veteres iterum cognoscere flammæ,  
 Ac alijs eadem verbis repetisse voluptas,  
 Sermonis fuerit facilis repetitio nostri,

C 2

Versibus

Versibus hoc breuiter, quo lusimus, ordine dictis.  
 Principio refuli mutata virginis ora,  
 Fratris ab insano quaë Biblis amore periuit.  
 Inde natatoris Leandri fata cenebam,  
 Hellepontiacæ perijt qui mæsus in ynda,  
 Cùm miser ad Sestum ventis prohibentibus iret.  
 Pòst, in adulterio Veneris cum Marte reperta  
 Fabula nostra fuit toto notissima calo,  
 Et nunc à pueris totum cantata per orbem.  
 Ultima de Thysbe, quam non feliciter arsit  
 Pyramus infelix, oratio finijt omnes.

## MELIBOEVS.

Non equidem numeros, sed, Tityre, dicta volebam.  
 Nam numeros memini, si, Tityre, verba tenerem.  
 Hac eadem longo sermonis in ordine poni,  
 Et tanquam varijs rerum pingenda figuris  
 Ornari veterum dignè monumenta petebam.  
 Id mihi si præstes, digna mercede laborem.  
 Non fraudabo tuum: sed erunt sua pramìa vati.  
 Et tibi (nam scelus est sine munere poscere carmè)  
 Hanc donabo capram, quaë, quamuis vberè sortus  
 Educat vna duos, bis lac mulcralibus offert.  
 Addam præterea duo sagina pocula docti  
 Artificis consecra manu, quaë nuper ab ipso  
 Alcimedonte mihi Lycidas calata ferebat.  
 Sunt noua, sunt etiam flauentibus illita ceruis,  
 Et penitus sacros spirantia thuris odores:  
 Et, quia sunt nostraë, tanquam miracula genti,  
 Non vnquam tetigi, sed purè condita seruo.  
 Argumenta mihi, leui superaddita toro,

Histo-

Historia, librìque vicem præbere solebant:  
 Illa superficies, qua pars suprema videtur,  
 Quaque moues primò bibituris pocula labris,  
 Non dubijs pictos signis dat noscere fastos.  
 Infima sed manibus quaë pars comprehensa tenetur,  
 Monstrat imaginibus messorum tempora factis,  
 Seruandòsque dies terra designat aranda.  
 In medio clari nitor est pulcherrimus borti,  
 Vnde suis possit depicta coloribus arbor  
 Nomine quæque suo nunquam dubitanda vocari:  
 Sapius apparet curuatus ab arbore ramus  
 Pondere cum pomo simul accrescente moueri:  
 Sapius ex alto missos descendere credas,  
 Delapsòsque simul volui per gramina fructus:  
 Sæpe tibi dices: an & hæc ego falsa putabo?  
 Cùm sint falsa tibi prostrata sub arbore poma,  
 Pinus ab aduerso crescit latissima fonte,  
 Sub cuius viridi stant nata sedilia fronde,  
 Colloquijs longum tempus fallentibus apta.  
 Fons abit è saxo niueis argenteus vndis  
 Splendidior vitro, qui cygnis pulchrior albis,  
 Purus, & intactus nunquam turbatus ab yllo,  
 Exuperat niuei folium candore ligustri:  
 Hac se nuda lauat pulcherrima femina lympha,  
 Os, humeròsque dea, Venerique per omnia virgo,  
 Aut mulier similis: mulier, non virgo vocetur:  
 Namque senes gemini duo canis ora capillis,  
 Mollibus hanc verbis tentare videntur amantes,  
 Et certè precibus corrumpi credo rogatam,  
 Quamlibet, vt lacrymans, videatur id ipsa negare.

C 3

Forfitan



Forſitan hiftoriam ſcires, ſi nomina dicam  
 Quæ me nunc fugiunt, velut omnia, ſcire volentē:  
 Pluribus interea laudarem pocula verbis:

Vino vendi-  
 bili non opus  
 eſt ſuſpenſa  
 hedera.

Sed puto per nullas virtutem creſcere laudes,  
 Et modo quod populi paſſim verſatur in ore;  
 Suſpenſis hedertis poſſunt bona vina carere.

Quæ verò roties inuidit pocula Milon,  
 Tityre, ſi facias doctum pro munere carmen,  
 Me tibi dante ſeres: nam dulci carmina voce,  
 (Quod non inuideo) doctiſſimus optima cantas.

## TITYRVS.

Quo memoras ſtudio calices, Melibœe, paratos,  
 Artiſiciſque manus, nec non qui mollis acanthus  
 Errans mirificè factas complectitur anſas;  
 Ipſe mihi triſtis Milon laudare ſolebat.  
 Et cuperent noſtra precium ſibi tale Camena,  
 Si modo ſufficeret tanto mens agra labori:  
 Nam malè cantores cantant cantare coacti:  
 Nec libet inuita quidquam tentare Minerua.  
 Quippe (fatebor enim) poſtquã formoſa Corallis,  
 Hei, pudet, & dicam, miris me cepit ocellis,  
 Nec me Pierides, nec me tetigère Camena.  
 Vtpote ſum Muſus, Heliconiadæſque perofus,  
 Omnia poſtponens placito veſanus amori:  
 Qui ſolitus veterum percurrere ſedulus ignes  
 Non credendorum mendacia publica vatum  
 Priuatos habeo tandem, quibus vtor amores:  
 Hi mea perpetuis ſic vexant pectora curis,  
 Sic me conficiunt, vt facti carminis oſor  
 Omnia fortuna curanda negotia mandem.

Tu nihil inui-  
 ta dices fa-  
 ciesve Mi-  
 nerua.

ME-

## MELIBOEVVS.

Felix, qui proprio fructum decerpit in horto:  
 Tu reliquis etiam felicitior omnibus vnus  
 Nunc ſapienter agis, qui Phœbi munere ſpecto  
 Cœpiſti luſcam priuatus habere puellam.

## TITYRVS.

O vitnam, Melibœe, domi priuatus haberem,  
 Et mea non noſſent agreſtes ſomnia grylli:  
 Et minus ipſe canum latratibus obuius eſſem,  
 Et magus ad noſtras mea mens attendit capellas,  
 Qui nunc ſeruat oues, pulſo cuſtode, maneret.  
 Sed mihi tu noſtros ridere videris amores:  
 Nec tamen efficies, quamuis tibi luſca vocetur,  
 Vt mihi diſpliceat, quæ tam formoſa, Corallis.

## MELIBOEVVS.

Id benè dixiſti: nam quicquid amabile pulchrum,  
 Et quacunque placent, ea pulchra videntur amati.  
 Sed tamen, vt ſtipulas ſaliens locuſta fatigat,  
 Sic pedis alterno fertur ſubſidere paſſu.  
 Et loquor hoc ipſum: quæ res ſi falſa probetur,  
 Tunc ego vel quouis proclamer iudice mendax.

## TITYRVS.

Carpere formoſam fruſtrà, Melibœe, laboras,  
 Quæ mihi ſic animi donis ornata videtur,  
 Corporis vt nuſquam paſſit defectio cerni.  
 Nam mala natura, quæ dona minorâ vocamus,  
 Illa bonis animi pulchrè pulcherrima veſtit.  
 Forſan luſca videt, forſan pede claudicat vno:  
 Sed tamen ingenij ſapientis munere pollens  
 Eſt animo ſuccera bono, quæ neſcitra fraudis

C 4

Simplicis

*Simplicitatis amans, iustumque, piúmque tuetur.*  
*Si verò vitium, quod claudicat, esse loquaris,*  
*Cum multis alijs illi commune puellis,*  
*Cúmque viris multis vitium commune putato.*

*Cæcus enim Plutus, cæcus puer ipse Cupido*  
*Dirigit incerto volitantia spicula cursu.*  
*Forsan & is feriet misso tua pectora telo,*  
*Cuius alo nostris cæcum sub cordibus ignem.*  
*Aut igitur taceas, aut fausta precêris amori.*

## MELIBOEVS.

*Haud secus, ac iussus te præcipiente, silebo.*  
*Si tamen vlla tua te gratia tangit amica,*  
*Si placet ipsa tibi, si vis vt amabilis adsit,*  
*Illius ede sacrum celebrando carmen amori.*

## TITYRVS.

*Omnia cum vestra fiant pulcherrima laude,*  
*Mecum Pierides teneram cantate puellam,*  
*Et mecum tenui celebrate Corallida versu.*  
*Te luscam, fuscámque simul, formosa Coralli,*  
*Te populi claudam communis fabula dicit.*  
*At ceram mihi posse nouam superare vidêris,*  
*Et niueis cygnos equare coloribus albos.*  
*Quantum ver hiemem, quâtum viburna cupressi,*  
*Et quantum reliquas cantu Philomela volucres,*  
*Tantum tu superas omnes, me iudice, Nymphas.*  
*Aureus ex summo promanat vertice crinis,*  
*Pube tenus media ventrem demissus ad imum:*  
*Oscula dulcè canunt: oris dulcissima vox est:*  
*Labra ferunt Helenam: formosam colla Dionen:*  
*Brachia Dianam: sapientem dicta Mineruam:*

Forma

*Forma papillarum Cytheream candida fingens,*  
*Incipientis habet faciem, mea gaudia, Luna.*  
*Cùm, formosa, venis ad saltus pascua nostros,*  
*Silua nemúsque virent: letantur gramine campi,*  
*Pratâque luxuriant: sed oves, caprâq; gemellos*  
*Emixa pariunt, nec non plenissima succo*  
*Lactea demittunt ad mulctras vbera vacca.*  
*At, formosa, fugis cum saltus pascua nostros,*  
*Tunc ager effæctus sublatis fructibus aret:*  
*Deficiunt herba: ramos desiderat arbor,*  
*Et vacca sterili frustra pascuntur in agro.*  
*Postremò, sine te mihi gaudia nulla videntur:*  
*Nulla salus sine te: sine te mihi nulla voluptas:*  
*Omnis adest sine te mihi lux odiosa diei:*  
*Ingratus sine te frustra me somnus adiret,*  
*Si mea non fingant omni te somnia nocte.*  
*Tu spes, tu requies nostra certissima vita,*  
*Tu mihi sola mei merces sperata laboris,*  
*Tu numeris perfecta suis mea gaudia seruas.*  
*Sed tamen hoc tantum desidero Tityrus vnum,*  
*Vt saltem redamet formosa Corallis amantem,*  
*Neu fugiat nostram, quamuis sit rustica, vitam.*  
*Aut, tibi si grauius redamare videtur amantem,*  
*Voces ingenuo fictas ne præfer amori.*  
*Nam tibi, si scirem, quod charior alter adesset,*  
*Tunc mihi præ foribus facerem sublime sepulcrum.*  
*Vnde meum corpus tam diræ conscia mortis,*  
*A trabe suspensum tectis egressa videres:*  
*Néue mei casus posses ignara putari,*  
*Tristia signarem moriturus carmine fata:*

C 5

Hunc

Non solus  
 Plutus cæcus  
 est, nã & Cu-  
 pido non vi-  
 det.

Hunc amor occidit. Noli transire viator,  
Sed dic: Ille feram nimium dilexit amicam.

MELIBOEVUS.

Tale tuum carmen venientis murmura venti,  
Et salientis aque de rupe sonantia vincit.  
Nam facit ad nostras, quam fistula, rectius aures,  
Dulcibus ora sauis, & plenum melle palatum:  
Mæoniôque simul tua nectare Musa redundat,  
Et necat obstreperas vocalis lingua cicadas.  
Hinc etiam superos (quoniam placet illa) rogabo,  
Ut tibi tam faciles, quam sint in amore secundi:  
Cumq; domû veniam (vatum sunt præmia calcar)  
Si satis est, ad te quarum præconia dixi,  
Alter a de pateris a me donata feretur.

TITYRVS.

Acciperem tantum paruo pro carmine munus?  
Dij meliora velint. Nam turbam Phœbus auaram  
Odit, & à sacris Musarum sedibus arcet.  
Optima perpetuos non querunt carmina census,  
Carmina perpetuum sed querunt optima nomen.

## INDEX.

ECLOGA SEXTA.

DAPHNIS. LYCIDAS.

HEVS Corydon, Corydon, recta sic pergis ad  
urbem?

LYCIDAS.

Deciperis certè, qui me Corydona vocasti.  
Aduena sum Lycidas satis agnitus iniquis,

Qui

Qui præter meritum patrijs è finibus exul,  
Nescio quem Batauum tendo peregrinus ad orbem.

DAPHNIS.

Ergo, quod, vt vera deceptus imagine, fallar,  
Quisquis es, errori veniam, carissime, dona.  
Hic siquidem Corydon precio conductus Amyntæ  
Seruat oves domini, (nec enim te comparo furi)  
Fidus hero famulus, carissimus omnibus idem,  
Qui tibi tam similes ostendit in ore colores,  
Quam vix sunt niueo de lacte coagula lacti.

LYCIDAS.

Omnis vbique color: sed non amor omnis vbique.  
Ast illi, similem cui me natura creauit,  
Et cunctis alijs, qui pacis amore feruntur,  
Nostra dissimilem tribuant pia numina sortem;  
Ne videat miseram turbata per otia vitam.  
Nam nisi turbassent sedes mihi bella quietas,  
Tunc ego vel quouis pastore beatior agros  
Excolerem patrios, & ouilia pastor haberem,  
Nec me conspicerent alia sua tadia gentes,  
Nec procul à patria patriaq; penatibus errans  
Cogerer ignota mea credere semina terra.  
Sed queror hac frustra, frustra data t'opora perdes,  
Forfitan hic sermo tibi cœpta negotia differt:  
Nunc eo, tu felix, fortunatusque valeto.  
Hæc autem Batauas an me via ducet in oras?

DAPHNIS.

Ducet, & in tuto saluum te sistet asylo:  
Tutus iter tutum tranquilla per omnia carpes:  
Nulla dabunt tristem ventura pericula casum.

Nam

Præmia poetarum incitant.

Sola immortalitas à bonis Poetis queritur.

γάλα  
γάλακτος  
ουσιον.

Hollandiæ  
laus.

Nam gens insidijs hominum caret ista malorum,  
Exitium nulli molitur, at accipit æquum  
Mitis in ignotos animum, mentemque benignam,  
Non secus ore loqui, quam sentit pectore docta.  
Sed tamen hæc, quarum longè fastigia cernis,  
Sint tibi suspecta silua. Nam fama vagatur  
Esse viros illic, qui nocte dièque profectos  
Obseruant homines, obseruatosque trucidant.  
Quare, si qua tibi curanda cura salutis,  
Horrendos nemoris saltus vitare nefandi,  
Et tritas seruare vias, & tramite recto  
Per medias segetes impunis abire memento:  
Scilicet hac pergens veterem sine frõdibus vltimum,  
Ac in ea veteris nidi vestigia cernes,  
Natis aëria quem congesse palumbes.  
Hanc vbi transferis (que dicam ritè notato)  
Tres via diuersas diuersa trahetur in oras:  
Et nisi, pro certa, que sit seruanda monerem,  
Vt via, sic tres varias diuersus in oras.  
Prima petit siluam: vicinos altera lucos:  
Triticeam segetem premit agmine tertia dextro,  
Paruula Nerdena, qua moenia deteget vrbs:  
Paruula, sed toto qua præstantissimus orbe  
Carmminibus vates quidam clarissima fecit,  
Vates conspicuus fide, facundissimus ore,  
Vates Pieria certissima gloria turba.  
Nomina non meminì: sed, si cupis ipse videre,  
Et coram domini voces audire loquentis,  
I, pete, quas templo vicinas possidet, ades,  
Auspicijsq; subì faustam felicibus vrbe m.

Laus D. Lam-  
berti Hortesij  
Montfortij.

Ille

Ille tibi, quod restat adhuc maris aquor arandum,  
Ille sinus terræ, tractus maris ille profundi,  
Sponte sua melius, quam quis de plebe, loquetur.

LYCIDAS.

Quem talem memoras sapienti pectore vatem,  
Illico (nam doctos est cernere magna voluptas)  
Posse videre velim, cultoque loquentis ab ore  
Leuibus exceptas libris committere voces.  
Est quoque iucundum, quod spem mihi posse dedisti.  
Sed nemus, & pedibus tristes euadere siluas,  
Mens mea posse negat venturi præscia fati,  
Omina sperata referens ingrata salutis.  
Attonitos equidem pavidus tremor occupat artus,  
Et salunt intus motis præcordia venis:  
Hoc est, quod veteri clamabat ab ilice cornix:  
Hoc & heri fulmen dextra de parte monebat:  
Hoc cruor è nostris hodie qui naribus iuit:  
Hoc mihi qua mediam ruperunt visa quietem.  
Quicquid id est, Batauas nunquam vèturus in oras  
Finitura meam video discrimina vitam.

DAPHNIS.

Non decet augurij sortem ratione moueri:  
Solus, & omnipotens Deus vnus cuncta gubernat.  
Me quoque, cum fugerem natalia moenia Trenzir,  
Tam procul à patria terras venturus in istas,  
Omina conspicuis terrebant obuia signis:  
Sed cum negligerem genio malè nata sinistro,  
Sponte bonis ferri successibus acta videbam,  
Quæ fore dira mihi laeuum prædixerat omen.  
Tu quoque ne dubita soli committere Christo  
Spemque,

Spemque, speiq; fidem (rata spes est omnis in illo)  
 Qui tua numimbus fortunæ cœpta secundis.  
 Ille vias faciles, & iter largitus honestum,  
 Duxq; comesq; tuus per cuncta pericula tecum  
 Ibit, & aduerso te defensurus ab hoste,  
 Qua placide viuas, in tuta sede locabit.  
 Ne verò timeas, ego nunc comitabor euntem,  
 Donec in optato nauis tuiſſima portu:  
 Trifidibus à ventis, & tempeſtate quieſcat.  
 Tyre, dum redeo, noſtras mihi paſce capellas,  
 Et, cum tempus erit, paſtas ad flumina coge:  
 Sed tamen hic aries, qui totus candidus errat,  
 Ne dumeta petat, (nam ſunt in ſentibus angues)  
 Neu feriat cornu, cornu ferit ille) videto.  
 Interea iuſtis gradientes paſſibus ambo  
 Acceleremus iter, dictamque feramur ad urbem:  
 Et, quia ſermo facit ſpaciū minus eſſe videri,  
 Longa via noſtris fallamus tempora verbis:  
 Tūque prior, Lycida, qua ſis incommoda paſſus,  
 Et quibus è terris, quibus è regionibus exul  
 Aduenias iſtum Boreæ frigentis ad axem,  
 Liber, & intrepidus poſita formidine fare.  
 Inde meos prima repetens ab origine curſus,  
 Errores varios, & multa pericula dicam.

## LYCIDAS.

Omnia vera libens tibi dulcis amice fatebor;  
 Me quoque de Gallis vnum non eſſe negabo.  
 Gallus enim patrijs longè depulſus ab aruis,  
 Omne vehens meū quod fors mihi cunq; reliquit;  
 In mihi non viſa populi regione Batavi,

Sortis

Sortis, & exilij ſpero ſolatia noſtri.  
 Nam ſtatus & rerum ſic eſt fortuna mearum,  
 Et tam conditio ſundi miſeranda paterni,  
 Vt miſer ipſe meis opibus priuatus & ære  
 In patria nullam poſſim ſperare ſalutem:  
 Sed tibi naſcenti Chriſtus qua nomina fecit?

## DAPHNIS.

Nomen aui referens dicor de Daphuide Daphnis.

## LYCIDAS.

Gallia, Daphni, ferax & opum ditiſſima tellus,  
 Vnica præ reliquis olim cultiſſima terris,  
 Imperium iuris munitum legibus æqui,  
 Urbibus egregijs populoque potente beatum  
 Vnanimis ſceptri longa ditione tenebat:  
 Nunc eadem caſis paſſim deſerta colonis,  
 Aut effæta iacens aut foeta furentibus armis,  
 Tot videt horribiles naſci pro pace tumultus,  
 Tot proprio latoſ pingueſcere ſanguine campos:  
 Tot conſanguineo vaſtari mœnia ferro:  
 Vt vix prima ſui teneat magalia regni.  
 Percipis & patria ſentis incommoda noſtra:  
 Nunc, qua me profugum patrijs à ſedibus arcet,  
 Exilij cauſſam paucis (aduerte) docebo.  
 Urbs antiqua iacet quam multos ritè per annos  
 Excultam ſtudijs & iuſtis legibus æquam  
 Sinceri veteres Geneuam tenuere coloni:  
 Impia nunc eadem (ſic ætas omnia verſat)  
 Poſthabita recipit cultus pietate nefandos,  
 Et ſua dilacerat fatali numina Chriſto.  
 Nam duo ſunt illic Doctores nomine, non re,

(Alter

In portu nauigare.

Omnes facultates inditus est.

Vide Eclo-  
gam I.

(Alter enim iustos velut ipsa calumnia vexat:  
Alter Castaliam vorat atrox bestia turbam)  
Impia monstrantes sanctis pro legibus arma:  
Quorum consilium proceres sine more secuti  
Vertunt in proprios ferrum sua viscera ciues,  
Cumque suis ipsi per mutua vulnera certant.  
Ast ego pro sacris postquam scelerata viderem  
In templis fieri: ius dicere ciuibus arma:  
Religiosorum contemni facta virorum:  
Sanguine non meritas iustos persolvere penas:  
Deserui patriam laris incunabula nostri,  
Eripuique fuga certo mea corpora letho:  
Et, quoniam veteris nomen pietatis haberent,  
Ignotos Batauos ignotus adire petiui.  
Vltima nunc verò metam factura labori,  
Dij mea fortunent euentu cepta beato.

## DAPHNIS.

„ Vt nunquam dubites aderit clementia Christi,  
„ Seruabitque tuam post mille pericula vitam.  
Nam me per similes eadem fortuna labores  
Iactatum miserè varijs erroribus egit:  
Nunc tamen ipsa rei patitur nullius egentem  
Hic velut in patria felicem degere terra.  
Desino plura loqui: mox cum veniemus in urbem,  
Vatis in aspectu presentis cetera dicam.

## NÆNIÆ.

## ECLOGA SEPTIMA.

## CORYDON. DAPHNIS.

EXPECTATVS ades: nã te fidissime Daphni,  
Iamdudum volui qui docti carminis auctor,

Corrige-

Corrigeres nostros presentemente labores.  
Nuper enim requiem secura per ocia nactus  
Incepi tenuem componere versibus orsum,  
Sicut opus minimo contextit aranea filo.  
Et quia Dux Bauara Gulielmus gloria terræ  
Pastorum modulos & eorum carmen amabat,  
Vt potui numeris voces parère coëgi,  
Quæ facerent eius carmen post funus honori.  
Ipsa quidem laudat socium tentamina vulgus,  
Meq; bonum dicit populi pars maxima vatem  
Carmina vel Cedro vel Apolline digna locutum:  
Sed minimè credens sanctè iurantibus ista  
Noctua cum cycnis videor certasse canoris,  
Ac velut in sidibus, quas odit graculus, esse.

Cedro digna.

Nihil graculo  
cum sidibus.

## DAPHNIS.

Est tibi, mi Corydon, eadem sententia mecum,  
Et mea confirmant istam suffragia mentem.  
Nam veluti doctos miro complector amore:  
Sic fatuos odi, sic detestatus ineptos,  
Execror & fugio vates sine laude superbos:  
Qui sibi dum Chium superare videntur Homerũ,  
Turpiter in Dominas fundunt conuitia Musas.  
Quisque Poëtarum vano letatus honore,  
Quale potest subita componit arundine carmen:  
Quisque suis replet vicinos cantibus agros:  
Et iam quisque tonat magnorum facta virorum:  
Sed bona qui faciat, qui dicat Apolline digna,  
(Crede mihi) toto non est querendus in orbe.  
Scis (puto) quæ fuerint nostræ data premia Musæ:  
Scis (puto) quæ fuerint comitata premia laudes:

Mali poëta.

D

Carmina

*Carmina cum vestrum superabāt nostra Menalcæ:  
Nunc tamen illa diu licet emendata fuerunt,  
Sæpius ad limam docti reuocata magistri:  
Vix capiunt dignam post tempora tanta figuram.  
Sed mihi de cantu videor satis esse locutus.  
Nunc quoniam ventus gratam captantibus umbrā  
Fronde super viridi caelestem mitigat æstum:  
Incipe de domini communis funere carmen.  
Incipe: nos etiam tibi carmina nostra vicissim  
De ducis interitu, nec dum perfecta canemus.*

## CORYDON.

*Quæ ducis extincti vidissent funera gentes,  
Vnanimis Dominum lugubri carmine flebant  
Immiti superum culpantes numina voce,  
Baccifica ceu rabidas stimularent orgia mentes.  
Astra querebantur Bauara crudelia terra,  
Versa trahi iustis semper contraria votis:  
Ac postquam populi ductor Gulielme perisses,  
Regna simul patria tecum sublata videri.  
Omnia dura tuos lugent animalia casus,  
Solaq; dum nimio consumit pectora luctu,  
Ægrius afficitur propter tua funera pastor,  
Quam turtur socij frustratus fœdere lecti.  
Vrsus & indomiti multa feritate leones,  
Armenia tigres & quæ fera turba luporum  
Assuit præcipuè miseris damnosa colonis:  
Cordis & immitis natura semina vincunt.  
Errant præcipientes circum sua pascua tauri,  
Procumbunt vituli: sed amantes saxa capellæ  
Istantes veterem memori sub pectore curam,*

Reij.

*Reijciunt herbas & duro pabula vultu.  
Ipsi monticola, siluestria numina, Panes,  
Ut reddare tuis, vt te tua fata remittant,  
I rata superos nolentes voce precantur  
Regni sceptrâ pio largitos debita nato.  
Te pariter doctiq; viri doctiq; Poëta  
Versibus, & factò laudatum carmine lugent:  
Te Deus, Admeti Regis qui pauit ouile,  
Et te Pierio descent in monte sorores.  
Rustica nunc etiam pastores turba sepulcrum  
Et ducis extincti signant hoc carmine funus.  
Gentis honos patriæ terris supponitur atris,  
Et terra familes de se creat ille figuras.*

## DAPHNIS.

*Barbite, dic Latium nobis Germanice carmen,  
Vc versu populos mecum solare potentes,  
Iristia qui domini lugentes funera nostri  
Vsq; per assiduos ducunt suspiria stertus.  
Interijt Bauara spes & fiducia terra  
Viribus Aeacida compar Gulielmus Achilli,  
Viribus ingenij compar Gulielmus Vlyssi,  
Solut & Aeacides, & vt alter solus Vlysses,  
Acer & eximia nulli pietate secundus,  
Bella simul pacemq; sua virtute colebat:  
Hoste vel in medio qui quamuis multa tulisset,  
Vicit vbique suos nunquam superabilis hostes:  
Mors tamen atra virum (nam cedunt omnia morti)  
Vatibus inuictum iaculis Heroa peremit:  
Nunc etenim nobis de tanto Principe restat,  
Vt cinis aut nigris aquata cadauera terris.*

Epitaphium.

Corpus humo tegitur: sed qui caelestis origo  
 Terris superas iterum migravit in auras,  
 Spiritus ambrosia viuens & nectare dulci,  
 Solus eum superis virtute potentibus aequat.  
 Ille triumphator super ardua sidera vectus  
 Terram sub pedibus sublimis ab aethere cernit:  
 Ille nouus superis & Dijs gratissimus hospes  
 Nollet in hac iterum, si posset, regna venire.  
 Alta quid hunc igitur reddi suspiria poscunt,  
 Aspiritis Alberti cum lata sorte fruamur?  
 Tentemus potius fatum differre precando  
 Regna quod incolumi nato seruanda beauit.  
 Vltine parens dignis nunquam laudade Camenis,  
 Vlt facis, Albertum nobis cum coniuge serua:  
 Illustriq; viro da longa secula vita,  
 Vt eius populo generosam suffice prolem.

## CORYDON.

Gratia magna tuo debetur amice labori:  
 Qui, quod omissem aũ pulchro carmine monstras,  
 Candidus agnosco lapsa peccata Camena,  
 Ingenijq; tuam secundo flumine venam  
 Et sensu Dominus in dicto carmine vires:  
 Sed quibus officij meriti benefacta rependam?  
 Aut tibi quae tali reddam pro munere dona?

## DAPHNIS.

Hanc prior ipse tibi fragilem donabo cicutam,  
 Hac Satyris notas de religione querelas,  
 Hac te Castalij doctissime carminis auctor,  
 Hac eadem cecinit, Recta sic pergis ad urbem?

At

## CORYDON.

At tibi trado pedum quod auarus saepe Comatas  
 Nunc prece, nunc precio, nunc ore minace petebat.  
 Id, quoniam minus est, quam forsitan debuit esse,  
 Dum capis, ingenuam donantis respice mentem.

## V. E. R.

 E CLOGA OCTAVA.  
 MENALCAS, THYRSIS,  
 TRANNA.

**T**HYRSI, quid immemores peragendi mun-  
 neris ambo

Stertimus, & segni mala ducimus ocia mente?  
 Quid sine frugifero bona tempora perdimus vsu?  
 Quid pulchros viridis flores consumimus aui?  
 Quin canimus potius? quin exercenda palestra  
 Corpora nostra damus? quin certas ordine metas  
 Figimus & multo lassamus pectora cursu?  
 Aut si forte labor grauis est & viribus impar,  
 Alterno veteres repetamus carmine lusus:  
 Phyllidis insani stultae celebrentur amores:  
 Dicantur stolidi furia Corydonis & ignes,  
 Formosum frustra qui saepe vocauit Alexin.

## THYRSIS.

Non ego tam grato tergum subduco labori,  
 Nec volo poscenti quidquam tam iusta negare:  
 Sed tibi me facilem semper prestabo Menalca,  
 Et modo, quandoquidē patula pecus omne sub vltimo  
 Depastas iterum committit dentibus herbas.  
 Corpus & ingenij mens officiosa vacabit.

D 3

Imò



Imò licet nuper certamine victus abirem,  
De grege non vereor pinguem deponere caprum,  
Aut etiam virulum, seu tu certare palestra,  
Sive velis mecum facto contendere versu.

## M E N A L C A S.

Et mihi sunt aliqua magno pro corpore vires:  
Et me Pierides & amant mea scripta Camena.  
Pastores etiam nuper dixere Poëtam,  
Cum Sophoclis Tragicum meruisset fistula nomen.  
Nil igitur renuo: tu dic quo pignore certes.

## T H Y R S I S.

Si modò confectis contendere versibus audes  
(Nam satis ex alto sol corpora fortiter yrit)  
Hunc ego depono minitantem cornibus hircum,  
Qui, quoniam viridi pinguis lasciuit in aruo,  
(Propria laus sordet) palmã vel ab hoste meretur.

Propria laus  
sordet.

## M E N A L C A S.

Hunc ego deposito ferientem cornibus addam,  
Qui, quia de sepris solus pulcherrimus exit,  
(Res se vera probat) palmam vel ab hoste meretur.

Veritas se  
commendat.

## T H Y R S I S.

De precio constat, siquidem sumus ambo parati  
Ritè suis vincitum numeris depromere carmen,  
Si modò vel iudex vel carminis auctòr adesset.  
Sed quémnam video tardos huc flectere gressus?  
Et pronum tereti se sustentare bacillo?  
Estne, recens Batauis huc qui migravit ab oris  
Doctus & apprimè calamos inflare peritus?

## M E N A L C A S.

Notus ab incessu graditur certissimus ipse,

LAUS

Laus & Pieridum non infama gloria vates:  
Si nescis, habitat nostris vicinus in agris,  
Et tantum cantu pastorum sibila vincit,  
Quantum præ reliquis excelluit vnicus Orpheus.  
Iam non Agritius, non Mammelranus amatur,  
Immemor ipsa sui quos est mirata iuuentus,  
Edoctos stipula miserum disperdere carmen:  
Sed merito Tranna (nam Tranna nomine gaudet)  
Integra concordi laudantur carmina voce.

## T H Y R S I S.

Qui colit Agritium, te Mammelrane probato,  
Ac idem Baniuum tentet præferre Maroni:  
Et pauidum det ouile lupis, & in athere ceruus  
Pascat, & à foetis sibi lac petat ille columbis.  
Sed prope nos adiit: si vis dum fessus anhelat,  
Appellabo virum dictæque saluæ rogabo,  
Illius vt nostram dirimat sententia litem.

à pvidens  
y d m.

## M E N A L C A S.

Si libet, accedas, aut, quod placet, ipse venito,  
Ne rumpas nostris illius seria nugis:  
Nam modò nescio quid, tacito demurmurat ore.

## T R A N N A.

Dicite (nam vestris qui sum nouus hospes in oris  
Dulcia pastorum semper collegia scctor)  
Ad iuga tam pulchros qua culpa ligauerit hedos?

## T H Y R S I S.

Ad iuga deductos quoniam miratus es hircos,  
Causa rei non culpa subest: hic fronte minaci,  
Qui iuga derectat, meus est: fuit iste Menalca,  
Mox puto noster erit, nam sunt certaminis ambo,

D 4

QUE

*Quae feret alterius sub iudice, premia, victor.*

MENALCAS.

*At qua tam latum peperit fortuna triumphum,  
Vt paena canas, vt te temerarie laudes?*

*An tibi iam tribuit pulchram victoria palmam?*

*“Victorem virtus, non verba ferocia reddunt:*

*“Arguit in dubijs stultum iactantia rebus:*

*“Stultus magnifico frustra se tollit honore,*

*Quem fortuna facit paruo mendica superbum.*

*Tu quoque iam Regem qui te promittis, vt olim,*

*Me victore domum forsitan sine laude redibis.*

*Si verò fuerit perdendi tanta libido,*

*Incipe, si quid habes, me parte videbis vtraque*

*Aut fecisse modos aut respondere paratum.*

*Incipe: nam nobis iudex (scio) Tranna vacabit,*

*Quem modò Salmanidis nouerunt flumina vatem.*

TRANNA.

*Ipse quidem facilem vestris dabo versibus aurem,*

*Si sat dignus ero. Nam ludi pastor honesti*

*Semper amator eram, segnes odisse videbar,*

*Qui traherent solis torpentes ocia nugis.*

*At res sic iuuenis nostras operosus agebam,*

*Vt nunquam victus vel victor ab hoste vacarem:*

*Nunc me, nunc alios aut exercere solebam,*

*Carmimibus, si messis er at, si frigora, saltu.*

*Nunc quoq; per molles quonia consedimus herbas,*

*Carmina, quae memori sub pectore cuncta repona,*

*Thyrsi prior dices verbis iteranda Menalca.*

THYRSIS.

*A Ioue ducendi surgat mihi carminis ordo,*

Carmi-

*Carmina dent Musae, dent veris carmina laudes.*

MENALCAS.

*At tu Phoebe pater nostri sis carminis auctor:*

*Nam duce te verni praeconia temporis edam.*

THYRSIS.

*Index frugiferi ver est certissimus anni,*

*Ver est cunctarum plenissima copia rerum.*

MENALCAS.

*Ver hiemem nescit, pulchrum ver incipit annum:*

*Optima ver fundit de diuite munerera cornu.*

THYRSIS.

*Vere tumente solo decorantur gramine campi,*

*Et sua deposcunt subigenda semina terra.*

MENALCAS.

*Luxuriatur humus: pratum vestitur & arbos:*

*Semen vt accipiant terra versantur aratro.*

THYRSIS.

*Fecundi veniunt Zephyris cum dulcibus imbres:*

*Discedunt pluuia, discedit ab aere nimbus.*

MENALCAS.

*Agricolis gratus celo demittitur humor,*

*Nimbo so pereunt tristes cum turbine venti.*

THYRSIS.

*Terra capit messis reddendos tempore fructus*

*Aruorumq; sinus ventis laxantur amicis.*

MENALCAS.

*Terra sinus aperit iactanti grana colono,*

*Qua pia cultori multo cum faenore reddat.*

THYRSIS.

*Arbor opaca comas, & frondes explicat omnes,*

D 5

Pam-

Stulta est de  
alienis super-  
bia.

*Pampinus è gemmis flores protrudit apertis.*

MENALCAS.

*Explicat arbor opes, & floribus alma superbit,*

*Pampinus è gemmis venturas indicat vuas.*

THYRSIS.

*Dulce queruntur aues & cantibus aëra rumpunt,*

*Diuitiasq<sub>3</sub> suas & munera gutture iactant.*

MENALCAS.

*Lene canunt volucres, & cantibus omnia replent,*

*Ostenduntq<sub>3</sub> suas, quo possunt, carmine vires.*

THYRSIS.

*Tunc cuculi clamor philomela cantibus impar,*

*Obstrepit, ut pulchro mixtus solet anser olori.*

MENALCAS.

*Tunc pariter cuculus clamat, dum cantat aëdon,*

*Improbis ut nitidos anser solet inter olores.*

THYRSIS.

*Tunc pecus à Furijs cæci stimulat amoris,*

*Et pariter pecori bruto fit grata voluptas.*

MENALCAS.

*Vrit amor pecudes ac inguina turgidus inflat,*

*Et Venerem molles querunt armenta per herbas.*

THYRSIS.

*Sponte sua prodit quos d'simulauit amores,*

*Nam venit ad salices, & me rogat vltro Corallis.*

MENALCAS.

*Me quoque Phyllis amat: nam rectos detegit ignes,*

*Nec multum nostro pugnare videtur amori.*

THYRSIS.

*Sæpius ipsa gregem viridi compellit hibisco,*

*Iussa*

*Iussa suis nostra pecudis premit vbera palmis.*

MENALCAS.

*Et mecum mea pascit oues & mulget easdem,*

*Et, si non vltro veniant, ad pocula cogit.*

THYRSIS.

*Hos inter frutices mecum securo quiescit,*

*Quamuis ipse pater spernentem iussa vocaret.*

MENALCAS.

*Hic mea me Phyllis nuper, clamante nouerca,*

*Molliter in gremio medium complexa fouebat.*

TRANNA.

*Iam satis est pueri. Dulces abrumpere lusus*

*Laudis & artis erit. Vos carmine vincitis ambo,*

*Sed neuter superatus abit. Volo iudicis equi*

*Munere perfungi. Capro tu dignus & iste,*

*Et quisquis veri mistos sic dicit amores.*

*Victores igitur pressis iuga demite collis,*

*Et date laurigero victricia tempora ramo.*

## O C R E A.

ECLOGA NONA.

FAVSTVS ET HANSO.

*HANSO quid hoc monstri? (quoniam mihi*

*rettulit Aegon*

*Te mala per cunctas suspiria ducere noctes)*

*Quod male vestitus nullo stipatus ouili,*

*Perdus & pernox tanquam furiosus oberres?*

*Pelle superuacuas tristi de pectore curas,*

*Teq<sub>3</sub>*

Teq<sub>3</sub> viris ouium custos custodibus adde:  
 Nam duo Romani pastores Faustus & Aegon,  
 Vel nuce vel pomo vel amico flumine lati  
 Grata sub hac petimus fugientia frigora quereu:  
 Qui donec segetes ac corpora Sirius vrit,  
 Fallimus alterno labentia tempora versu.

Quod si te socium nobis cantantibus addas,  
 Pienus erit numerus (numero Deus impare gaudet)  
 Et triplici pariter feriemus sidera voce.  
 Non est quod renuas, caelestia numina placant,  
 Et simul humanam demulcent carmina mentem:

Vis carminū. Carmina vel manes possunt excire sepulchris,  
 Carmina fortuita mutare pericula sortis,  
 Carmina crescentem possunt deducere lunam:  
 Carmine rumpuntur serpentes, carmine fiunt:  
 Carminibus Magici currentia flumina sistunt:  
 Carminibus passim fit ab infelice beatus,  
 Id quod in Hollando factum pastore videtur,  
 Qui modo securus post sepem Tranna quiescit  
 Nuper inops rerum sed nunc per carmina felix,  
 Nec non eximius magnorum laude virorum.

## HANSO.

Discursans furio (sicut tibi rettulit Aegon)  
 Et miser insomnes cogor traducere noctes  
 Propter oues casus modico vestitus amictu.  
 Sed tamen est nostri iustissima causa doloris,  
 Qui tacitè mæsto sub pectore tantus habetur,  
 Vt neque, si dicam veluti sint omnia, credas,  
 Sed tibi credenti neque singula dicere possim.  
 Quippe fidem superat fortuna pessimus ordo,

Qua

Quae fore iurauit se tam constanter iniquam,  
 Vt prece non valeat vel dicto carmine flecti.

## FAVSTVS.

Forssitan affectum malè vexat adultera coniux,  
 Aut à feminep deceptus amore tenèris.

## HANSO.

Nil ego tale queror, nec enim riuilibus obsum  
 Tam procul à patria terram detrusus in istam:  
 Nec puto zelotypos nostris in partibus esse.  
 Quippe sacerdotes, quos formidare solemus,  
 Et monachi pariter votis & veste relicta,  
 Vt ciues alij, domina sub coniuge viuunt.

## FAVSTVS.

Edis in obscuro perplexas ordine voces:  
 Nec capio dicti qua sit sententia verbi;  
 Nonne Sacerdotes vxoribus esse maritos,  
 Et Monachos propria cum coniuge viuere credam?

## HANSO.

Esse Sacerdotes nullos cum Saxone dico:  
 Et Monachos tutè mutata lege vagari:  
 In templis sacra nulla canunt, dare thura recusant:  
 Et Missam missam faciunt, discrimine nullo  
 Coniugij legem sacris dant atque profanis,  
 Vndique mutato vastantes ordine cultus,  
 Quos facit antiquo Romana potentia mundo.

## FAVSTVS.

Hei scelus aeternis flagris & carcere dignum,  
 An data coniugij dissoluunt foedera lege?  
 Praepouuntq<sub>3</sub> pijs vxoria iurgia rebus?  
 Quam verè potuit dici gens Saxeæ Saxo:

Quod

Quòd patitur rupto populares ordine vestes,  
 Induci Monachis & ab aris numina tolli:  
 Quae tamen hic populus se religione tueret?  
 Quae Deū sequitur: nec enim tā̄ barbara mores  
 Gens colit externos, quae Christo praeside viuit.

HANSO.

Fauste minus faustum nostris das gentibus omen,  
 Et nimis affectu conuicia dicis iniquo:  
 Quippe sequi Christum solida pietate videntur,  
 Ac Euangelico sectari praemia verbo.

FAVSTVS.

Quam bene confidis te decipientibus Hanso:  
 Nam sibi dum fingit vultum sine fraude modestū,  
 Ad scelus & vitium deducere iura paratas  
 Intus alunt Furias, & amantem iurgia mentem:  
 Vnde monet falsis à vatibus esse cauendum  
 Nescius omnino mendacia dicere Christus.  
 Non secus ac dicat: Falsos fore praescio vates,  
 Qui donata mea sperantes munera sponse  
 Ad populum dicent: En hic tibi Christus & illic:  
 Vos verò nolite sequi: quia falsa docebunt,  
 Proscindentq̄ meae sanctissima nomina fama.  
 At nos, si volumus (quod res est) Hanso fateri,  
 Nunc ea conspiciamus perituri tempora mundi,  
 Et venisse diem, quo longe Christus abactos  
 A latrone greges ad inhospita pascua cernit.  
 Nam (quod aus fieri) ritus contemnere sacros:  
 Ora maritali Monachos praebere capistro:  
 Deridere sacrae mysteria debita Missae:  
 Quid precor est aliud? vel quid queat esse videri?

Quam

Quam domini verum Christi proscindere corpus?  
 Quippe Dei sanctam praese fert Missa figuram,  
 Pellit & humano vitij de pectore labem,  
 Ac hominum prodest animis aliquando sepulchra.  
 Tu contra, siquidem studio contendis inani,  
 Si potes, hoc aliter quauis ratione probato.

HANSO.

Non egu sum falsos deprendere doctus elenchos,  
 Sed nec in argutis capto sermonibus aures:  
 Quippe fide sola nos iustos esse putamus,  
 Ac hominum meritis nullam restare salutem.

FAVSTVS.

O mala conditio miserandi Saxonis, ô fors  
 Aspera, quae duro videatur flebilis hosti:  
 Vosne nouas sectas annis iam mille sepultas  
 Iureq̄ damnatas atro reuocatis ab Orco?  
 Nuper enim virides cum nata canicula messes  
 Fortiter vigeret siccantibus omnia flammis:  
 Venit in hunc pagum doctis stipatus amicis  
 Vir bonus & sapiens, obseruantissimus aequi,  
 Verus & ingenuus diuina mente sacerdos:  
 Qui (quia prostratus per saenum nocte iacebat)  
 Manè mihi librum iuxta praesepe reliquit:  
 In quo iustitia vires operumq̄ patebant,  
 Et via, quae vitam monstrat directa beatam:  
 Sed tua cum sensu vero sententia pugnat.  
 Ne me fortè roges: cur tractant sacra profani?  
 Ex illo didici, quod iam sint mille ducenti,  
 Plus minus, ad finem lustris venientibus, anni,  
 Quod quaedam fuerint Anomae nomina sectae,

Anomae haereticici.  
 Eunomius &  
 Aëtius haereticici.

In quibus Eunomius Princeps & Aëtius ater  
Alter ab Eunomio scelerum turpissimus auctor.

Ambo fefellerunt populum, satis esse docendo,  
Si saltem dominum Christum se scire loquatur:  
Ambo fidem solam nocte seq̄ die seq̄ canebant,  
Ac soli fidei tantum virtutis inesse:  
Ut complexus eam quamvis sicarius aut fur  
Crimina criminibus grauiora prioribus addens,  
Accipiat moriens caelestis premia vitæ.  
Si tamen est veri sententia propria verbi,  
Ut Deus in nobis (dum sit fiducia cæli)  
Nec laudes operum, sed nec bona facta requirat,  
Cur electus ait sincero numine Paulus:  
Quod neq; vinosus, neque fur, neq; turpis adulter,  
Nec scortatores caelestia regna subibunt:  
Et tamen ista fide celari crimina possent,  
Ni tua cum vero pugnet sententia verbo.

HANSO.

Cerno magistrorum miracula falsa meorum;  
Agnosensq; me a conuicta publica linguæ,  
Fauste precor veniam: tibi me debere fatebor,  
Spiritus humanos dum sensu diriget artus,  
Dum fluuij pisces; dum gramina campus habebit.  
Te monstrante lupos ouium sub veste rapaces,  
Vocibus inter oues noui balantibus ire.  
Te duce scurrarum turpissima facta secutus  
Dicor ad hospitij diuertere tecta beati:  
Te duce nauisfragi post mille pericula ponti,  
Integer optatos videor contingere portus.  
Ast ego cum toto viuam pauperrimus orbe,

Quas

Quas tibi pro meritis grates? quæ præmia reddam?

FAVSTVS.

Hanso nihil posco, nec enim sunt præmia tanti,  
Ut cupiam multis pietatem vendere nummis,  
Aut vt auaritia vel paruo captus amore  
Deceptura viros pro veris somnia narrem:  
Scilicet vt sermo passim vulgaris haberur: ..  
Pœna premit culpam, sequitur mendacia furû. ..  
Hinc Romana probè sincera per omnia virtus  
Consilij inopes & sorte parata iuuare,  
Ladere ledentem vel amicum fallere nescit.  
Gratulator ergo tibi, qui me sortitus amicum  
Incipis antiqua vestigia noscere vitæ,  
Si tamen ipse voles mihi gratus, amice, videri,  
Da veniam dictis (iterum mihi posco negata)  
Et qui te cruciat caussam memorato doloris.

HANSO.

Nil tibi Fauste nego, sed, quam petis, ardua res est,  
Nempe modum superans nulloq; probabilis vsu,  
Quæ tamen ipsa fidem certa ratione meretur.  
Attentas igitur iustis da vocibus aures,  
Et nisi vera mihi dicturo singula crede.  
Nam tibi non referam dubijs auctoris acta,  
Sed nec ab incerto deducam prælia Marte,  
Vt pote qui præsens coram præsentibus egi,  
Quos tibi poscenti factos narrabo tumultus.  
Post Christum natum tercentum lustra fluebant  
Trigintaq; duos conuersum tempus in annos,  
Ad quorum numerum vix additus annus abibat:  
Cum malè mutatos cultus auctore Luthero

Pietas auro  
non veditur.

Anno 1533.

E

Saxo

Saxo parum prudens sine religione videret.  
 Turpia pro sacris omnes idola colebant,  
 Ac, vt haras, aras, vt turpes fana cloacas,  
 In morem stabuli pecus adseruantis, habebant.  
 Hinc Monachi verita dum libertate fruuntur  
 (Nam sibi conciliat scelera licentia multos)  
 Deseruere fidem cum religione paternam,  
 Et coluere deos pro vero numine vanos.  
 Proiecere datas vno simul ordine vestes,  
 Ordine mox vno simul assumpserunt negatas:  
 Et cui se paulo iurabant ante fideles,  
 Pontificem miris audent proscindere verbis.  
 Quin etiam verum sibi numen adesse professi,  
 Seq̃ Deo similes & vatibus esse priores,  
 Dum barbas habitant veluti conchyliarum testas,  
 Gentibus obscuro vendunt oracula sensu,  
 Aut etiam plano, quæ res me perdidit, eheu:  
 Eheu, Fauste (precor) nunc, quod me perdidit, audi.  
 Est in Saxonia, quæ me nutriuit alumnus,  
 Patria: de lignis Holtz dorfia dicta vocatur.  
 Hac cum susciperet falsis de vatibus vnum,  
 Se simul & miseros nos perdidit ipsa colonos  
 Funditus, & miserè stricto velut ense peremit.

Namque Michaëlem quendam pro vate recepit  
 Nomine Stifeliū, sociū comitemq̃, Lutheri  
 Cū coleret monachos & cū turbaret eosdem,  
 Is se sacra putans mysteria scire Deorum  
 Quadrati numeri secum ratione putata:  
 Dixit in hoc ipso, quem mox memorauimus, anno,  
 Quid foret Octobris decimam lux circiter horam,

Tertia,

Tertia, supremus perituri terminus aui:  
 Credita sub tanto res tanquam vera magistro  
 Agricolas ruri, sed & intra mœnia ciues  
 Luminibus claris obducta nube fefellit.  
 Quem non deciperet? credebat id ipse Lutherus,  
 Vaticanaturo subscribebatq̃, Melanchthon.  
 Hi qui Misniacam subigebant vomere terram,  
 Et qui Saxonici cultores ruris eramus;  
 Incultos agros incultaq̃, tecta domorum,  
 Et patiebamur sine frugibus arua perire:  
 Hoc satis esse rati, si tantum venter haberet,  
 Quantum sufficeret dictas ad temporis horas.

Nos igitur socij summis pro viribus omnes  
 Pergræcabamur, sic, vt nihil esset in esse,  
 Nil inidem pecoris cū tempora dicta venirent.

Cū tamen ille dies Octobris tertius esset,  
 Conueniunt omnes, quorum stultissimus ipse  
 Constitit medius faustumq̃, precatur & orat:  
 Agricolis etiam frustra metuentibus inquit  
 Stifelius clamans, surgendi tempus adesse,  
 Supremumq̃, diem nostra venisse salutis.  
 Nam quo quisque modo vestitus staret ibidem,  
 Hoc debere statim çali super athera ferri.  
 At cū iudicij iam dudum tempus abesset,  
 Vt dubitans secum præfagia falsa putaret,  
 Fortuita quidam veniens ab origine ventus  
 Eludit subito mendacem turbine vatem;  
 Qui simul ac perijt, nos penè periurimus vna,  
 Quod non adfuerit iudex cæni turbine Christus,  
 Nam propter pecudes, propter bona perditæ mœstis

E 2

Grata

Grata dies nobis toties promissa fuisset.  
 Ergo Stifelium, manibus post terga reuinctis,  
 Adq; manus pedibus per mutua vincula nexis,  
 In curru positum nunc huc raptamus & illuc,  
 Donec ad eximiam festu deuenimus urbem,  
 Candida qua niuei sortitur nomina montis.  
 Hic nos iudicio damnandum sistimus aquo  
 Parua petituri magno solatia damno.  
 Sed frustra petimus, frustra culpamus iniquum,  
 Frustra carceribus clausum detrudimus hostem:  
 Quo duce communis sortis fortuna perisset.  
 Nam (quia de corio fuit ipse Lutherus eodem,  
 E quo Stifelio factum dedit Ocrea nomen)  
 De manibus nostris & certa morte redemptum  
 Excellens magica turpissimus arte Lutherus  
 Stifelium nota praefectum reddidit adi.  
 Nos verò miseros, miseros nos ille reliquit  
 Elusos miserè: quorum pars tæbe periuit:  
 Pars sua crudeli confodit pectora ferro,  
 Pars, quorum numerum fugiēs mæstissimus auxi,  
 Diuersas adiit patrijs à sedibus oras.  
 O viuinam verò contingeret infimus ordo,  
 In quo seruitij mihi pondera ferre liceret.

## FAVSTVS.

Hanso nihil metuens te consolare dolentem.  
 Hic siquidem poteris securam ducere vitam,  
 Et poteris nostro nobiscum viuere sumptu.  
 Caseus & presso de lacte coagula restant,  
 Et quos triticeis è floribus areæ panes  
 Cum magno numero largè satis ampla ministrat.

Quare

Vittebergæ  
 periphrasis.

Quare sub viridi nobiscum fronde quiescens  
 Esse puta Christum, qui vitæ fauor honestæ,  
 Antiquæ fidei cultores semper amabit,  
 Assiduâq; simul pietate fouebit amatos.

## R O R A.

## ECLOGA DECIMA.

FELIX, SILVESTER.

QVÆ te nunc aded Furia Siluester amara  
 Turbata sub mente coquunt? quæ pectora cura  
 Tristitia consciant? aut quis dolor occupat agrum,  
 Vt digitum medio vindex furiosus in ore  
 Italico de more premas: qui pallidus errans  
 Iratis similes oculos huc fleclis & illuc?  
 An noua successus minimè sortita capitos  
 Snppeditet dubias allata molestia causas?  
 An verò doleas extincti funus amici?  
 Aut alios casusue tuos casusue tuorum?  
 Obsecro ne celes: semper tibi nostra vicissim  
 Commoda, vel, si quod dent infortunia, damnum,  
 Sincerus veteri pro consuetudine dicam.

## SILVESTER.

O socio felix adhibende sodalis amoris,  
 Tanta simul nostras capit indignatio mentes:  
 Tantos ira parit nostro sub corde furores,  
 Vt, dum supposito sanguis feruescit ab igne,  
 Dum caput insanit, dum mens agitata tremiscit,  
 Dum scintillantes oculi sine luce vagantur:

E 3

Propo-



Propositum nequeam pressis cobibere catenis.  
 Si quis ab aduersis mihi partibus hostis adesset,  
 Aut si quis tacite saltem subscriberet hosti:  
 Illum (per superos & tertia numina iuro)  
 Dilaceraturis inuadere dentibus ausim.

Crede mihi (nec enim sum risu digna locutus,  
 Nec te digna facis, qui me risisse videris)  
 Quod ruerem medios vel non armatus in hostes,  
 Quamlibet ad pugnam ferro teloque paratos.

## F E L I X.

Non aded leuis es fido Siluester amico,  
 Ut tua iurantis sine pondere dicta putarim:  
 Sed mihi stultitia nimis indulgere videntur,  
 Qui sua diuino detrectant numina Baccho.  
 Nam quod honoratos tollunt ad sidera Diuos,  
 Adscribuntque nouis multorum nomina fastis,  
 Quorum facta legunt in mutis scripta libellis;  
 Perplacet: & tales sunt digni laude nepotes.  
 Sed sua quod patri nolint dare festa Lyco,  
 Miror, & ad caussas miratus saepe recurro.  
 Nam qui sunt alij miracula rarius edunt  
 Calicula nobis, & non nisi saepe vocati:  
 At Bacchus sua dona libens non saepe vocatus  
 Ex facili voto dat ciuibus atque colonis:  
 Pauperis ille preces & vocem diuitis audit:  
 Spem facit esse ratam requiemque dolentibus adfert:  
 Abstrusas recludit opes: docet artibus vri:  
 Eloquij vires, & robora magna ministrat:  
 Et cum mille viris contendere cogit inermem:  
 Non opus est vllis exemplis vera probare,

S. Bacchus.

Vis ebrieta-  
tio.

T H

Tu factio mea dicta probas, qui, nuper ab vno  
 Vixque viro coram iussus prodire, latebas:  
 Nunc autem, vel mille viris ad bella citatis,  
 Oppletus vino vis solus in arma venire.

## S I L V E S T E R.

Vt te dij superi, qui potum dicis amicum,  
 Quantus es & qualis, totum, nequissime, perdant:  
 Cum tamen ipse duas nec vidi vna per horas,  
 Nec nisi potanti quater euacuata rediuit  
 Fictilis annofo repleta fidelia vno.  
 Adde quod ex sacris templi penetralibus adsum,  
 In quibus audiui diuini verba ministri,  
 Qua pia diuino Rorarius ore profudit,  
 Totus ab aetherei dependens numine verbi.  
 Nam verbum meritumque Dei portamque salutis  
 Scripturamque sacram manifesta voce crepando,  
 Nos omnes docuit Bauara contraria genti  
 Sumere tela manu: Bauaros odisse coegit:  
 Esse pium dixit Bauaris indicere bellum:  
 Et, caput illorum damnandum Principis, inquit,  
 Ergo quod foueat Romanae sedis alummos,  
 Et Missa famulos fidei pietatis amantes.  
 Ipsum praeterea tanquam vult esse tyrannum,  
 Quod fidei causa retineret carcere vinctum:  
 Cum foret in terris Ortenburgensibus auctor  
 Vera Lutherani referens praeconia verbi.

## F E L I X.

Respondebo pijs Siluester ad omnia votis,  
 Impia quae falso RORARIYS ore profudit,  
 Totus ab inferni dependens numine verbi.

E 4

Principio

Principid, Princeps quoddam iniquus dicitur esse,  
 Hostibus illius falsum queat esse probari:  
 Qui magnas referunt illi pro corpore grates,  
 Sed, fatentur ei plures debere relatu.  
 Nuper adhuc doctos sub amico fallere vultu  
 Exitium Domino propter pia facta minatos  
 (Non ignota loquor) placidissimus ultro recepit,  
 Officijque suos iterum donavit honores.  
 Quod si cuncta Ducis clementis facta notares,  
 Sive vel Augusti vel Caij Caesaris acta,  
 Seu videas regum fortissima gesta piorum:  
 Inuenies illum nulli pietate secundum.  
 Ut breuibus faciam rerum compendia verbis,  
 Tam procul à sensu distat pater ille nefando,  
 Quàm procul à Christo peccati semina distant.  
 Tantus est dira Dux ipse tyrannidis osor:  
 Quantus erat vera Christus pietatis amator.  
 Sed quod eum iussit retineri carcere vincitum,  
 Carceris ipse sui Rotarius extitit auctor,  
 Ut, cui se vouit, sic precipiente Luthero,  
 Factas ritè vias pater Antichristus haberet.  
 Nam, licet in terris Ortenburgensibus hospes  
 Publicus hostis erat, tolerandus scurra fuisset,  
 Ni caelo terras & miscens infama summis,  
 Impia persuadens & verè sacra prophanans  
 In Bauara fines terra grassator abisset.  
 Nam, simulac hominis didicit conuicia Princeps,  
 Et violata suæ pietatis iura fidemque,  
 Ac infecta malis Boiorum corda venenis,  
 Ex Bauari regni discedere sinibus illum,

Aut

Aut ad se Bauaros nullos admittere iussit.  
 Ille nec hoc domini dictum, nec præstitit illud,  
 Sed magis accensus belli nascentis amore,  
 Impius ad sese Boios Bauarosque vocauit.  
 Tum sibi deuotos per Sacramenta coegit  
 Dicere, Pontificum Missas idola vocari,  
 Ac idolorum cultores esse ministros,  
 Qui sacra Romano passim de more pararent.  
 Quid faceret Princeps? quid Principe dignius esset?  
 Quam tales homines pressis cohibere catenis:  
 Aut saltem dubio punitos tollere ferro?  
 Seditio siquidem punitur atrociter omnis,  
 Sicut ubique noui testatur fœderis ordo.  
 At pater hic patria Dux illustrissimus ipsum  
 Ad vitium clemens, se deliquisse fatentem  
 Vix precibus dictis ad patria tecta remisit.  
 Quis tamen ille dato reddit pro munere grates?  
 Nunc execratur detestaturque benignum,  
 Ac audet dominum sparsis proscindere libris,  
 Et, veluti dicis, Bauaris indicere bellum.  
 Sed tamen ille Duci paulo iurauerat antè,  
 Sponte vocans superos & conscia numina veri,  
 Quod vellet Bauaros nullis offendere dictis,  
 Vel factis etiam: nunc credidit omnia vento  
 Verba ferenda suo, sicut solet ipse Lutherus.  
 Verè facta loquor, quate quoque teste probari,  
 Si bene perpendas, Siluester, singula, possint.

S I L V E S T E R.

Vera refers F E L I X, & singula facta recordor,  
 Quapropter cupio vestra subscribere menti,  
 E 5 Pontificumque,

Pontificumq; sequi mores & facta piorum;  
 Namque Lutherana perpendens crimina vitæ,  
 Perspicio fraudes pulchra sub veste latentes.  
 Expectes igitur: donec sub fronde iacenti  
 Discadat capitis paulisper crapula nostri:  
 Postmodò confessus sceleris peccata maligni,  
 Confirmabo fidem cum religione paternam.

TITVRVS: CIVIS. ECLOGA X.

HACTENVS in veterù scriptorù versibus ho  
 Discendos alijs cupiens traducere mores; (spes  
 Canto Syracusum Germana per oppida carmen,  
 Nec piguit Phœbum (quamvis ego rusticus essem)  
 Mecum sub viridi posuisse cubilia fronde:  
 Nec puduit corylis mixtas crescentibus vltimos  
 Carminibus ruri doctam celebrasse Thaliam.  
 Nunc quoque se nostris Arethusa laboribus offert,  
 Et fore se facilem promittit vbiq; ministram.  
 Ipse mihi tacitè nuper dicebat Apollo:  
 Tityre pascere tuas iterum, velut antè, capellas:  
 Tityre pascenti si sunt data munera cura:  
 Gratia non deerit quæstis vlla Camenis.  
 Sic mihi Phœbus ait, sic Phœbi sæpe sorores,  
 Sic mihi, quæ curant saltus & pascua, Nympha.  
 At ego non moueor (quis enim nisi stultus & amens,  
 Rura colens semper nunquam desideret urbem?)  
 Sed pecus infidis cupio subducere septis,  
 Et nusquam veritus seuorum furtiva luporum  
 Molliter in lecto securas ducere noctes:  
 Vtpote res tenues tenui sermone peractas  
 Munere functa suo tandem mea fistula claudit.

BVCOLICORVM FINIS.

T V, qui meos pellis ministros perfide,  
 Nostrum suis priuans honoribus caput,  
 Deum laceſis, & Dei sacrum caput  
 Christi redemptoris tui Dei meſ  
 Laceſis, angis, & premis.  
 Me semper obseruant tamen,  
 Mihiq; semper offerent  
 Tibus & Deo placencia  
 Manus piorum munera.  
 Abramus, Isaac, & Iacob,  
 Verè Patres sanctissimi,  
 Nec non eorum posteri,  
 Vates, Propheta, Martyres;  
 Et, qui Deo coniuncti erant,  
 Quos vis amare, Apostoli  
 Aras parauerunt sacras,  
 Quas tu nefanda destruis factas manu.  
 Frustrà tamen moliris exitium mihi,  
 Frustràq; Missa sacra spernis aut fugis,  
 Cum qui tuetur adsit, & viuat Deus  
 Aras volens & sacra Missa debita.

O R A.

O R A T I O  
**HANNARDI MOSÆI, DE**  
 LAVDIBVS GRÆCÆ LINGVÆ,  
*coram inclyt. Academia Ingolstadiensis Sena-  
 tu in principio suæ professionis publicè habita-  
 Anno M. D. LXLIII. duodecimo Decembris  
 die: Magnifico Domino D. Martino Isengre-  
 nio iterum Rectore.*

N O B I L I E T C L A R I S S I M O  
 VIRO, D. ERASMO FENDIO  
 illustrissimi Principis Alberti, vtriusque  
 Bauariæ Ducis, Consiliario, & Secreta-  
 rio dignissimo; Patrono & Mæcenati, vt  
 patri suo, salutem precatur.

*FENDI* clare pijs nate parentibus,  
 Spes & praesidium perpetuò meum,  
 Et tutela boni maxima nominis;  
 En Ingolstadio mitto tibi mea  
 De Græci Studij carmina laudibus:  
 Quæ nuper dominæ tota cohors Scholæ  
 A me dicta palam clarius audiit:  
 Cùm primum Cathedræ Græca professio  
 Scandenda faceret te duce copiam.

Hos verò modulos cur tibi mitterem,  
 Plus quàm iusta satis causa duplex fuit:  
 Nempe vt non videar muneris immemor,  
 Quod larga, misero magnificus, manu,

Han-

*Hannardo Dominus Fendius obtulit.*

*Causam ritus habet patrius alteram,  
 Quo(cum principium Ianus agens suum  
 Finem præteriti temporis aspicit)  
 Anni curriculum prosperioribus  
 Signandum notulis, ô pia spes mea,  
 Fendi care, tibi perpetuò precor,  
 Tu versus animo suscipe candido,  
 Et dic ipse tibi: Muna non habet  
 Noster Gomerius, quæ mihi mitteret;  
 Sed versus animi signa dedit sui:  
 Quos pro muneribus suscipio libens.  
 Nostrum perpetuò dulce decus Vale.*

Anno 1565. Iphis Calédis Ianuarijs, Tuæ  
 Magnificentæ deditissimus Hannardus  
 Gomerius Mosæus.

## O R A T I O.

*AVDITVRA* meas doctissima turba Came-  
 Magnifico semper titulo dignissime Rector, (nas,  
 Eximij patres grauitatis honore verendi:  
 Augusti proceres: & qui de plebe creati  
 Præsentes colitis Phæbea sacra Minervæ:  
 Vos mihi dicenti faciles aduertere mentes,  
 Et precor attentam iustis dare vocibus aurem.

Non ego de lana mecum certabo caprina,  
 Nec feriam dictis furiosus inanibus auras:  
 Sed quoniam Graia me dia Professio lingua  
 Praefectum studijs, indignum fortè recepit

(O vtinam

(O vimam faustum sit id auditoribus omen)  
 Emultis aliquas depromere carmine laudes,  
 Et Graeci studij praeconia dicere nit ar:  
 In quibus eloquij si non laudabitur ordo,  
 Vtilitas debet virtuti iuncta probari,  
 Et quod praeterea dulci miscetur honestum.  
 Nam meus omnis erit studio conatus in illo,  
 Vt (pia si superi feliciter acta secudent)  
 Instructura rudes, oblectatur a peritos,  
 Maturum faciat locuples oratio sinem.  
 Vos igitur votis animos adhibete fideles,  
 Dignaq; laudandis praestate silentia rebus:  
 Nam licet in varijs lingua regionibus extant,  
 Quae passim celebres diuino laudis honore  
 Diuerso populi florentis in ore feruntur:  
 Graeca tamen (laudi mecum subscribat Hebraeus)  
 Vnica praereliquis sacrum caput omnibus effert:  
 Et sic praecipuas post se veneranda relinquit:  
 Vt vel purpureus spinas Narcissus acutas,  
 Vel viola salices, vel duros lilia sentes:  
 Quippe rudimentis humana scientia Graijs,  
 Et diuina subest libris sapientia Graecis.  
 Sed modo Romano Graecos sermone priores,  
 Et nisi sint Graeci doctos non esse Latinos  
 Perspicua breuiter veri ratione probemus:  
 Non quod eam spernam, quae linguam totus adoro,  
 Sed quoniam caeca nimirum caligine ducta  
 Persuadere sibi fatuo sub iudice mentes:  
 Graecorum studium studio minus esse Latino,  
 Et sine Graecorum numeris florere Quirites.

O hominum

O hominum mala mens, ô vox indigna relatu,  
 O malè principium rerum gens ausa negare  
 Falsas pro veris admittere docta figuris.  
 Tûne potes Graeca linguam praeferre Latinam?  
 Tûne potes Graeca linguam conferre Latinam?  
 Tûne putas linguam sine Graecis esse Latinam?  
 Quae mendica petens res atque vocabula rerum  
 Diuite Graiorum miserabilis errat in aula.  
 Tûm perfecta potes fragmenta Latina vocare  
 Aut eadem Graecis perfectè digna videri?  
 Credite dicenti verissima: credite vati:  
 Quod non lingua viget de tot praestantibus vna,  
 Quae sit apud Graecos dignè spectanda lepores.  
 Ne tamen hic Latijs videar sermonibus osor,  
 A Graecis tribuo lingua loca prima Latina:  
 Ac veluti Phaebo clarissima lumina fulgent,  
 A quo Luna suum nocti capit obuia sidus:  
 Sic, inter reliquas, est praestantissima, linguas,  
 Graeca tenens primas sermonis in ordine partes.  
 Post illam sequitur Latio Romana colore,  
 Cuius Achiuorum manant ab origine fontes.  
 Nam cum nulla forent Troiane moenia Roma,  
 Cum nondum Latijs starent Capitolia regnis,  
 Graecia viuebat studijs insignis & arte,  
 Et pia Musarum studium Sophiamq; colebat  
 Efficiens doctas Academica Pallas Athenas.  
 Scilicet, exemplo Graecorum ritè virorum,  
 In Latio culti coeperunt esse Latini,  
 Qui velut à Graecis linguam didicere magistris.  
 Et, quoniam Graeci faciles in rebus haberent

Vtiliter

Vulgus enim  
 dicit: quid ad  
 Latinos etiã  
 Graeci inter-  
 ceant

Vtiliter fructus & commoda multa Latinis:  
Plurima diuersa mutata vocabula formæ  
Fortiter Iliades proprios seruaui in vsus.

Semper enim Graij feliciter omnia fingunt,  
Et noua componunt antiquis nomina verbis,  
Quæ dudum populo velut vsurpata leguntur.

Hinc sermone fluit leniter tractabilis ordo,  
Linguaq; succedit docto iucunda palato:  
Vt Proteus, varias assumit vbique figuras.

Miratos igitur Græcorum dona Latinos  
In multis eadem seruare vocabula scriptis  
Sermonumq; modis vti delectat eisdem.  
Sed quod verba fides iam dicta probabilis ornet,  
Iudicibus cunctas mando sapientibus artes,  
Vt pariter voces, pariter data nomina spectent:  
Quæ, iustis modulis postquam spectata iacebunt,  
Dispercam, si non signis descripta Latinis  
Esse videbuntur Græcis è fontibus orta,  
Verbaq; sepe sono proferri Græca Latino.

Ergo Grammaticam primò referamur ad artē,  
Cuius sunt ἐτυμὸν & λόγος atq; προσωδία partes,  
Si bene scribendū ratio σύνταξις habeat.

En ars tota senis producit nomina Græcis,  
Ipsa potest etiam de Græcis nata videri.  
Quis tamen has partes nisi Græcè doctus habere?  
Aut quis Grammatica latitantes edere causas?  
Quis (precor) interpres tā doctæ mētē? quis auctor,  
Vt nisi sit Græcus rationem dicere possit,  
Cur hæc σύνταξις, cur illa προσωδία pars sit,  
Aut ἀρθογραφίας cur scriptis pareat ordo.

Quis

Quis queat accentum nisi Græcus nosse Poeta?  
Quis bona conficiat nisi Græcè carmina doctus?  
Quis, nisi sit Græcus, Musarum munera speret?  
Cum sint Pæria Græco sub Apolline vates.

Virgilio placuit coniungere Græca Latinis,  
Ac Italo Graias versu mulcere Camenas:  
Qui cum Bucolicus pastorica diceret arua,  
De Græco frutices Latium traduxit in agrum  
Simichiden referens mutata voca poetam.

Idem cum caneret seruando rura colono,  
Diuitis Ascræi delatus ad horrea vatis,  
Portauit segetes Latium Romanus in agrum,  
Quas modò florentes Græcorum campus alebat.  
Idem, cum caneret destructæ moenia Troia,  
Aeneaq; p̄i raptos ex hoste penates,  
Reddere carminibus totum conatus Homerum  
In Latio meruit succedere proximus illi.

Namque Poëtarum pater & lux optimus esse  
Dicitur, & fandi meritò certissimus auctor.  
Naso quoque ingenij comes & lux optima nostri,  
Quem colo, quem veneror, cuius vestigia seruo,  
Ingenue Græcos imitatus carmine versus,  
Callimachi Musam Latium traduxit in vsum.  
Et sibi Mæonidæ modò carmina poscit habenda,  
Et senis Ascræi grauibus modò dicta figuris  
Pingit, & è Græcis dat lingua tracta Latine.  
Quid? quod in eximia laudandus Horatius arte  
Mutat, & ad patrios traducit Græca Latinos?  
Qui quoniam modulos sermè seruauit eosdem  
In Lyricis planè vult Pindarus esse videri.

F

Quid

Nemo bonus  
Poeta nisi  
idem sit Græ-  
cus.

Proteo mu-  
tabilior.

γραμματι-  
κή ἀπόστού  
γράμμα-  
τος.

Quid referam docti monumenta relicta Catulli?  
 Quid referam magnum Veronæ dulcis alumnus?  
 Quid Gallū memorē? quid culti scripta Propertii?  
 Quæ redolent Cōi diuina Poemata vatis.  
 Quid multos alios prædictis vatibus addam?  
 Quos mihi nec certo numero comprehendere fas est,  
 Nec quamuis liceat, vellent numerare quot essent.  
 Quotquot enim vates atate priore fuerunt,  
 Quos etiam minima celebravit laude vetustas,  
 Græca laborarunt verbis mutare Latinis,  
 Et dare Romanis Græcis sermonibus artes.  
 Sed ne iudicijs hic simplicioribus vsi  
 Fortè putent Græcis solos studuisse poetas:  
 Rhetoricam Græca sine cognitione Latinam  
 Sperandæ populo nihil vtilitatis habere,  
 Aut oratorem nisi Græcum posse placere:  
 Quam potero breuiter, certa ratione, docebo.  
 Quintilianus enim præponere Græca Latinis,  
 Et iubet à Græcis elementa capeffere prima.  
 Quo tamen à nobis tanquam leniore remoto,  
 Testis erit Cicero magna lux maxima Romæ:  
 Qui bonus Orator Græcis è fontibus hausit  
 Eloquij dulcem suadentis cuncta medullam.  
 Semper enim Cicero sanctè veneratur amatq;  
 Et citat auctores, ceu quadam numina, Græcos.  
 Cùm pater officio natum parere doceret,  
 Montrans hoc studium rebus ciuilibus aptum,  
 Et placitum rectè formandis moribus esse:  
 Admonet, exemplis hortatur, supplicat, orat;  
 Ne cesset studijs Græcis condire Latina.

Quid

Quid, precor, hic aliud fuit illi dicere visus?  
 Quàm, nisi coniungas cum nostris Græca Latinis,  
 Nulla parte potes linguam ditare paternam.  
 Ecce locupletem tam magnum Rhetora testem,  
 En Oratorum Patronorumq; Patronum:  
 Ecce patrem patriæ, quem libera Roma vocauit,  
 Aduersam Latio pro Græcis dicere caussam.  
 Quid iam præterea petimus? quid poscimus vl-  
 Iudice Romano Græci vicere Latinos. (tra?  
 Sed tamen hic omni fingamur teste carere,  
 Atque probabilibus niti debere loquelis.  
 Quis, nisi sit Græcus, diuinam Rhetoris artem?  
 Quis, nisi sit Græcus, vocem desinet artis?  
 Quam placido Græij dicunt sermone fluentem?  
 Quis nisi Græca sciens è traditione Latina  
 Nosse tropos possit? quis possit nosse figuras?  
 Ni discat varijs componere Schemata verbis.  
 Ergo patres, iuuenes, præceptoresq; colendi  
 (Scitis enim vobis quàm sim modò vera locutus)  
 Dicite constantes sincero pectore mecum,  
 Sola quod à Græcis dicendi pendet origo.  
 Nunc à Rhetorica sermonem flecto peractum  
 Scripta probaturus primis Dialectica labris,  
 Si possunt eadem sine Græcis esse videri:  
 Cum nisi perfectè Græcis descripta supersint.  
 At Xenophonta legūt doctumq; Platona Sophi-  
 Ac in Aristotelis cōsumunt tempora libris, (sta,  
 Quos versos Latio sermone videmus haberi.  
 Versos? subuersos potius (sic dicere fas est)  
 Affirmemq; suis compagibus esse solutos,

Traductos Latio Græcos sermone libellos:

Nā bona pars hominū, qui vertūt Græca Latinis,  
 Cūm studet & gaudet de verbo reddere verbum,  
 Aut (quia non patitur Græca data copia lingua)  
 Impropiè dictis Græcorum verba Latinis,  
 Ordine vel sensu corrupto, propria mutat:  
 Aut (quia Romana cogit penuria lingua)  
 Quod breuiter Græci minima sunt voce locuti,  
 Pluribus interpres latè sermonibus effert,  
 Commoditate fruens illius nempe figura,  
 Quam meritò Græcia dixere ἐπιπρασιν artes.

Auctores igitur Græcos ne iudicet, oro,  
 Neu ciret vt lectos, qui verbis scripta Latinis  
 Viderit illorum saltem monumenta referri.  
 Nam si versus erit, nec Græcus habebitur auctor,  
 Nec poterit dictis patrium seruire nitorem.

Res adèd clarè cunctis manifesta videtur,  
 Vt vel nota queat lippis tonsoribus esse.

Ne tamen exempli dicar ratione carere,  
 Instrumenta viri sapientis Græca petamus,  
 Sicut Aristoteles nobis ea scripta reliquit.

Seu video sensus per singula membra petendos,  
 Siue libri doctam planè considero mentem,  
 Siue peto iusto consuetas ordine voces:  
 Dispeream, si non spirant cum nectare mella.  
 Totus Aristoteles, qualis quantūsq; videtur,  
 Perplacet Hannardo sempèrque placebit vbique.  
 Nec tu crede mihi, quod posses, Rame, probari,  
 Qui monumenta viri tam secula multa sepulsi  
 Ridendus meritò frustra stolidissime carpis.

Nec

Nec tibi, mi Furi, verè subscribere possim,  
 Qui pedibus Rami vestigia facta secutus  
 Niteris aduersam nobis defendere partem.

Nam diuina subest doctis inuentio libris,  
 Et benè definit per iustas omnia partes:  
 Classibus ille suis bene definita reponens  
 Argumenta facit doctissimus optima solus.  
 Solus Aristoteles perfectè falsa resoluit,  
 Solus is à falsa veram dijudicat artem,  
 Plūsq; valet reliquis studium tractantibus illud  
 Qualibet arte virū, seu nunc sunt, siue fuerunt,  
 Siue etiam posthac alijs nascuntur in annis.  
 At cū scripta lego versis mutata libellis,  
 Qui sub Aristotelis titulo plerunque docentur,  
 Pendet ab obscuris libri sententia verbis:  
 Nec benè percipitur nec verè traditur auctor,  
 Qui foret in Græcis laudandus vbique figuris.  
 Vox ingrata rapit iucunde murmura vocis,  
 Et ferit ingenuas duris sermonibus aures:  
 Res modò pressa deest, modò res odiosa redundat,  
 Vnde solet nasci verborum turbidus ordo.

Denique ne multis perdam data tēpora verbis,  
 Versus Aristoteles, quantus qualisq; videtur,  
 Discipulis aloën acri cum felle ministrat,  
 Ni bonus admoueat Græcorum dona magister:  
 Tunc etenim verè solet ars Dialectica tradi,  
 Cūm natiua modo legitur purissima Græco,  
 Aut cūm Græca sonis inducitur ipsa Latinis.  
 Sed iam dicta satis ratio Dialectica cesset,  
 Vt, quod de Topica dicendum restat, agamus.



Hac quoque nomen habet de Græco nomine  
Græcū,

Quippe τὸ πῶς locus est, τὸ πῶς τὸ πῶς edidit artē.  
Propria quàm reliqua sibi plura vocabula seruat,  
Ergo quod à Marco Cicerone parata legatur:  
Sed tamen obscurè velut imperfecta iacebit,  
Nì det Aristoteles quo se defendere possit.  
Nam neque materiam scripti (velut ipse fatetur)  
Nec Cicero potuit generis cognoscere causam,  
Doctrinæ modum, quem post interprete multo  
Officium præstante suum schola docta recepit.

Vt taceam reliquas studijs præstantibus artes,  
Quæ sibi de Græcis voces & nomina sumunt,  
Docta Mathematicis Euclidis scripta probantur,  
In q̄ suo pretio dignè Ptolomæus habetur:  
Scilicet ex horum, consuetæ vocabula, libris,  
Cogetur Latium transferre peritus in vsum  
Ingenuè purus qui scire Mathematica posset.  
Hic rem materia multis extendere verbis,  
Et possem varijs mea pingere dicta figuris,  
Ac laudes veluti Græcos efferre sub astra:  
Sed quoniam video sensum data tempora labi,  
Et transacta ferè maturum poscere finem,  
Plurima nunc, alibi latè dicenda, relinquens,  
Saltem exempla breui verborum mole docebo,  
Quæ dent eximie Græcæ præconia lingua:  
Et primò medicam vertar studiosus ad artem,  
Ritè probaturus factis rationibus equi:  
Quod Dominū Græcè doctum Medicina requirat:  
Qui, nisi Græca sciat, Medicam vix percipit artem,

Sive

Sive Dioscorides auctor sit, sive Galenus,  
Sive alij multi, quorum me copia lassat,  
Copia, quæ Græcis descripsit plurima verbis;  
Nam Medici, lingua non sufficiente Latina,  
Nominibus dicunt stirpes, animalia, Græcis:  
Appellant etiam morbos & Pharmaca Græcè,  
Quæ propriè Latio non possunt tradita reddi.  
Deniq̄, quicquid habet nobis Medicina probandū,  
Quicquid item varijs passim docet vtile libris,  
Esse puto primū Græcis è fontibus ortum:  
Auctores etiam Podalyrius atq̄ Machaon,  
Et, qui præcipuè clarus numeratur, Apollo;  
Exhibuere suam Græcis sermonibus artem.  
Nunc quod ad humani cunilia commoda iuris,  
Quis neget hoc studium tradendis legibus aptum?  
Quis neget in Græcis scriptas superesse Nouellas?  
Et pariter Græcis data fundamenta libellis?  
Viglius affirmat, dum glossas iuris apertè  
Ex interpretibus Græcis iubet esse petendas.  
Vnde satis plana scripti ratione monemur,  
Quàm pia discendi verè prudentia iuris  
Græcorum studium nobis commendat habendum.  
Sed tamen his spretis cælestia dona petamus,  
Quæ veluti Græcæ pendent ab origine lingue.  
Nam studium cui dat Θεὸς & λόγος omnia celi  
Ab radice ferens, terram mutabis & astra,  
Si mutare voles aut Græcam tollere linguam.  
Cur? roget hic aliquis: quia Christi sædus Iesu,  
Ex Euangelij Græcè præconibus extat.  
Multa etiam Græcè patrum monumenta leguntur,

F 4

Quæ

Quæ fuerint lingua nunquam vertenda Latina:  
 Aut si versa forent nimis heu diuersa priori,  
 Et nimis à sensu proprio mutata sonarent:  
 Id quod in hæreticis iam factum saepe videmus,  
 Qui cùm Græca sonis inuertunt verba Latinis,  
 Turpiter admisso damnandi crimine peccant:  
 Aut, quia reijciunt fictis incommoda sectis:  
 Aut, quia non poterat verè sententia reddi;  
 Ergo notitiam Græca Respublica lingua  
 Et Græcos didicisse modos Ecclesia suadet:  
 Religio firmat: pietas monet: vtile cogit:  
 Quæq; facultatem comitatur magna voluptas,  
 Hinc Academia curantes acta patroni,  
 Vtile credebant studijs florentibus esse,  
 Si schola nostra duos semper laudanda magistros  
 In Græci studij tradendo more foueret.  
 Arboreo siquidem dignè loca prima relinquunt,  
 Qui, veluti fecit multos doctissimos annos,  
 Auctores placido grauiore ore docebit.  
 Post hunc officij mihi proxima dona tulerunt,  
 Qui clarè vatum Græcorum scripta professus  
 Instruerem placido iuueniles ordine mentes:  
 Incipiens igitur cum crassima fulserit hora  
 Septima, concipiam Græcæ præconia lingua,  
 Et (Deus inceptum si confirmauerit omen)  
 Addam præterea diuini carmen Homeri,  
 Cunctorum cupiens hominum vulgare per aures,  
 Quomodo cum ranis inierunt prælia mures,  
 Fortia terrigenum mentiti facta Gigantum.  
 Dij verò faciles animos in vota ministrent,  
 Vt sua

Vt sua

Vt sua concipiens dignas facundia vires  
 Sapius optatum ferat auditoribus vsum.  
 Vtq; in iudicio quærenda scientia crescens  
 Adferat eximium sperata laudis honorem.  
 Interea Bauaria Dux illustrissime gentis,  
 O Alberte, tibi magnas ego debeo grates,  
 Qui Batauus veniens istas peregrinus in oras  
 Ipse Professoris visus sum munere fungi:  
 Innumeras etiam fateor debere patronis,  
 Quorum consilij Academia publica florens,  
 Quamlibet externum, me non inuita recepit.  
 Vobis præterea sanctissima turba Senatus,  
 Et tibi Magnifico dignissime nomine Rector,  
 Ingentes habeo vestro pro munere grates:  
 Vos etiam proceres præceptorésque colendi:  
 Vos clari iuuenes adolescentésque docendi,  
 Credite de vobis etiam me velle mereri,  
 Ergo quod ingenuè seruata silentia vidi:  
 Pro quibus officijs per singula pectora gratum  
 Exhibeo vobis & sic me iuro futurum,  
 Si vos in reliquis videam sic pergere: Dixi.

F 5

A D

AD REVERENDVM PIE-  
TATE, NOBILITATE, ET ERVDI-  
TIONE eminentissimum virum D. MAR-  
TINVM EISENGRENIYM, S S.  
Theologiae Licentiatum, Protonotarium Aposto-  
licum, Gymnasij Ingolstadtensis Magnificum Re-  
ctorem, & Mospurgensis Ecclesiae & Oeringensis  
Præpositum, Elegia scripta à Philippo Menzelio  
Sandtehenst:

DE BVCOLICIS GAMERII.

O PATER, ð nostri sapiens auriga Lycæi,  
Gemma Sacerdotum, Pæridumq; Deus,  
Huc ades, & pectus grauioribus excue curis,  
Quas tibi nunc iterum publicus auxit honos.  
Non tamen hic laudum præconia quære tuarum,  
Maius id, & vena diuittioris opus.  
Antè suos equidem depromeret Hesperus ignes,  
Quam mihi susceptum conficeretur iter.  
At neque tanta subest nostris fiducia cœptis:  
Pauperiem Musa sat bene nosco mea.  
Quòd si te meritis ornare coloribus ausim,  
Viribus eloquij niterer ipse tui:  
Quippe facit rerum, felixq; peritia fandi,  
Inter vt eximios connumerère viros.  
Dulcibus orantem verbis audiuius ipsi,  
Nobiscum doctæ plena theatra schola.  
Huc tot scripta refer victura sequentibus annis,  
Scripta, quibus Cicero vix meliora daret.  
Non eadem facies, non est color vnus vbique:  
Prothea tot formas fingere posse negem.

Quamq;

Quamq; solet varijs ver pingere floribus arua,  
Tam tua multiplici scripta lepore nitent.  
Ac licet hac multis communi laude triumphes,  
Est tamen, & reliquos quo superare queas.  
Pars bona legitimos hac non conuertit in vsus,  
Pars sibi non alijs viuere magna studet.  
Ecquid humi furtim desossa pecunia prodest?  
Ex vsu studium concitat illa sui.  
Quòd tua maiorem meruit solertia famam,  
Omnibus in medium consuluisse volens,  
Tu sacer at hereti, velut Oedipus, ardua verbi  
Sensa doces, lingua non sine dote tua.  
Te vaser Hereticus cane sanctus odit, & angue:  
Te, quot quot pietas iungit auita, colunt.  
Tu decus afflictis, & spes fidissima rebus  
Boiariae populis, Christiadamq; gregi.  
Scilicet Anglopolis quanti te doctæ putarit,  
Publicus hic rursus testificatur honos.  
En vice te gemina studiosa caterua salutat,  
Angelica columen, presidiumq; schola.  
Quid? te quòd fato nunc altera scepra tenente,  
Gloria Gymnasio penè sepulta redat?  
Nec tibi tam Musas fateor debere renatas,  
Quæ passim longo delituere situ:  
Quam tibi debemus formandæ dogmata vitæ,  
Et quæ conditio cuique sequenda fiet.  
Sed quo plura cano, mihi plura canenda supersunt:  
Impar elogijs obruor ipse tuis.  
Exitus hic potius queri quam copia debet,  
Materiam versu non capiente meo.

Vna

*Vna tamen laus est, dignissima visa relatu,*  
*Ingenitam certè quam propè solus habes:*  
*Quòd, sobolem Phœbi, sic complectâre Poëtas,*  
*Vt, quacunq; queas arte iuuare, iuues.*  
*Iure quidè. Gemma siquidem frâguntur, & aurû:*  
*Gloria, quam tribuet Musa, perennis erit.*  
*Hinc orbis domitor, felicem dixit Achillem,*  
*Mœoniÿ dignum vatis ab ore cani.*  
*Nec (nisi fallor ego) tua te spes irrita ludet,*  
*Qua tibi perpetuum nomen in orbe struis.*  
*Hoc dabit ille, (tibi multum dilectus Apollo),*  
*Gamerius Vatium lux, Heliconis honos:*  
*Qui quoniam vitam non tantùm, deditus vltro,*  
*Asscribit meritis, Vir venerande, tuis;*  
*Haud sinet, hac omni careant impendia fructu,*  
*Ne ferat ingrati nominis inde notam:*  
*Quin & in hoc animi totis incumbet habenis,*  
*Totus in hoc, de te quò mereatur, erit.*  
*Non desunt vires, non culta gratia vocis,*  
*Magna sonaturi non decor oris abest.*  
*Vidimus, agresti quod lusit arundine, carmen,*  
*Vidit idem Phœbus, môxque probauit opus:*  
*Et, fortunati, qui Teutona degitis arua*  
*Pastores, vobis hic Maro, dixit, erit.*  
*Hac Phœbus. Phœbum nos cetera turba sequuti,*  
*Plaudimus auctori, Teutonibusque simul.*  
*Ludicra siue iuuant, illo sunt plurima libro:*  
*Seria seu mauiis, seria multa leges.*  
*Non tibi iam facili labentes agmine versus,*  
*Lactea non oris flumina laude veham.*

*Hoc tantum, Phœbo sed iudice proloquar, ipso,*  
*Nasoni palmam vix superesse suam.*  
*Aspice, quam rebus sit imago simillima vocis,*  
*Conueniens istis quàmque sit esca labris.*  
*Sed quid ego doctum doceo velut anser olorem?*  
*Iudicio poterunt omnia stare tuo.*  
*Quod mihi de cœpto peragendum carmine restat,*  
*Desinet in tales nostra Camena preces:*  
*Vt monitis, suasûque tuo prodantur in auras,*  
*Qua tuus hic vates abdita scripta premit.*  
*Ac cum de clara bene promerere âre iuuenta,*  
*Accedet meritis hæc quasi summa tuis.*  
*Non Venus hic, Venerisq; puer, lasciuâque furta*  
*Traduntur, teneri pestis acerba gregis:*  
*Sed qua vel rigidi porrecta fronte Catones,*  
*Quaq; vel Hippolytus, Penelopéque legat.*  
*Tu modo crescentem, quod restat, amare Poetam*  
*Pergito: Principibus laus quadrat illa viris.*  
*Sic te Nestoreos fera Parca referuet in annos:*  
*Sic tibi felici fidere tempus eat.*

Anno M. D. LXXIII.

Die XII. Martij.

ECCL E-

ECCLESIAE CATHOLICÆ: HOC EST, REIPUBLICÆ CHRISTIANÆ QVERIMONIA, CONTRA LVTHERANOS, CALVINIOS, ET ANABAPTISTAS, CARMINE ELEGIACO DESCRIPTA.

Auctore

HANNARDO GAMERIO MOSAEO, IN ACADEMIA INGOLSTADII GRAECAS LITTERAS PVBLCICE PROFITENTE.

Hieremias cap. i. Thre.

*Tu quicumque paras istac transire viator,  
Dicito, si similis nostro sit poena dolori.*

REVE-

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. IOANNI BREDELIO, Monasterij Vranij, id est Hemeratenfis, ad fluuium Salmanin, religioso & verè venerando Abbati, Domino suo semper & piè obseruando: Hannardus Gamerius Mosæus Hemertenfis, s. p.

*HANC tibi, quã spectas, multũ venerande, salutẽ  
Obtulit Hannardi littera facta manu:  
Carmina qui tenui ducens operosa papyro,  
Tristatur faciles non habuisse Deos.  
Ingenium sed enim sortis minuere labores,  
Blandaq; speratam Musa negauit opem.  
Iudicium perijt, magnis laus summa Poëtis:  
Destituit vatem pulcher Apollo suum.  
Et miser oblitus fati felicitis & hora,  
Metior infausto carmina nostra pede.  
Ecquid in alterno subsidere singula versu  
Respicis ingenio verba coacta meo?  
Ipse vides equidem, tibi quos Ecclesia mœstos  
Tristis anhelanti fundat ab ore sonos.  
Ipsa cupit tandem populis Ecclesia cunctis  
Sub patrocinio dicere verba tuo.  
Me quoq; iam cogit tibi gratum velle videri,  
Vt possim Domini non meminisse tui:  
Latus es & nimium mihi blandus amice fuisti  
Tristia depellens pectore fata meo.  
Vfus es exemplo donantis munera Regis  
Me faciens meritis officijsq; tuum.*

r. Alcinol

Vt

Vt cuperem meritis benefacta rependere nostris;  
 Et tibi muneribus reddere posse vicem.  
 Nam tibi me vitam semper debere fatebor,  
 Et pater Hannardo saepe ferere tuo.  
 Res, locus, ac animus vera pietatis amator  
 Admonet, vt Patrem te mihi saepe vocem.  
 Barbitos hinc igitur Dominū Patrēmq̄ sonabis  
 Ingenio factus gratificante pijs.  
 Lex iubet obsequium tanto prestare parenti,  
 Ingenuoque libet subdere colla iugo:  
 Scilicet an quisquam claris virtutibus aquet?  
 Aut referat tantum qualibet arte virum?  
 Bellus es & placida pacis certissimus auctor,  
 Bella fugis, summi iura colendo Dei.  
 Adducis miseros, & Macenatis egentes  
 Suscipis Vranij lausque decusque soli.  
 Ab quantum & quoties ea felix terra vocetur,  
 Consilio iusti facta beata viri.  
 Consilij solida nulli ratione secundus  
 Integer à noxa criminibusque vacas.  
 Posse nocere tuum est, cunctis prodesse laboras,  
 Et cupis imperij non meminisse tui.  
 Gratia facunda, qua praestantissima, lingua  
 Auxilij dignam publica praestat opem.  
 Me quoque cum facias aliqua de parte beatum,  
 Et foueas animo pectora nostra tuo:  
 Regia digna tua quis dicere carmina laude  
 Improbet? vt viuat nomen in orbe tuum.  
 Id quoque, ne forsan deceptus inutile credas,  
 Carmen habet vitæ iura necisque tuae.

Astra

Astra dat æternam vati pro carmine laudem,  
 Respirat fama carminis ille sui.  
 Mæoniden etiam dempto quis carmine noscet?  
 Eximie scripto viuis Homere tuo.  
 Nomina carminibus viuunt diuina Maroni,  
 Isq̄ Comes socia Flacce Poeta lyra.  
 Naso viget degitq̄ simul post fata superstes,  
 Et viues elegis semper, amice, tuis.  
 Regna quis ablato versu Troiana referret?  
 Musa negat summum claudere posse diem.  
 Ergo tuas nostro cernes in carmine laudes,  
 Teq̄ ferent Dominum carmina nostra suum:  
 Ut simul & prasens & postera nouerit ætas  
 Iudicium tanti cum pietate viri.

Ingolstadtij Anno M. D. LXXV.  
 Die x. Iunij.

Tua reuerenda Paternitati deditissimus  
 Hannardus Garnerius Mosæus ex suo  
 Museo.

G ECCLE-

ECCLESIAE CATHOLICAE  
QVERIMONIA.

IAM quasi ruga meos obducit plurima vultus,  
Iam quasi dat canas longa senecta comas:  
Iam quasi destituunt morientia corpora vires,  
Et cor in officio desinit esse suo:  
Anxietas animi semper me pessima vexat,  
Aegraq; perpetuus pectora languor habet.  
Non sum quae fueram Christi florentibus annis  
Qua docui veram cum pietate fidem:  
Atq; eadem certè, quamuis Ecclesia pellex  
Ore suo sponsum fingat habere meum.  
Quam modò si videat cum Petro Paulus, iniquam  
Afferat, & falsos clamet habere sonos;  
Quam pater omnipotens solio sublimis ab alto  
Dicit in aduersum bella mouere Deum.  
Plurima bella mouet, sed certè plura minatur,  
Dum facit horribili sacra nefanda manu.  
Intulit illa nouos in mundum pessima cultus,  
Et peiora nouis sanguinolenta parat.  
Dira mouens animis atrociam cogitat atrox,  
Et studet egregios non superesse viros.  
Mutat & euertit Christi monumenta verendi,  
Qua q; ab Apostolica scripta relicta manu.  
Hinc blandita sibi multum mentitur & omne,  
Quamuis illicitum, posse licere facit.  
Hinc mea sacra latent, siquidem neglecta pre-  
muntur,  
Dum facit hac cultus lingua profana suos.

Hinc

Hinc Domini vitamq; sacram castamq; recusant,  
Hinc laudant proceres impia facta viri.  
Et clamant (vt ait diuino pectore vates) Psal. 2.  
Vtile susceptum deposuisse iugum.  
Nam meretrix horum, quae vult Ecclesia dici,  
Felices homines vtilitate docet.  
Vtile quod fuerit satis hoc putat esse beatum,  
Meretur istos vtilitate viros:  
At non vtilitas eadem qua non sit honesta, ”  
Si mala sit lucri nomine dicta venit. ”  
Nam virtus per se debet laudabilis esse, ”  
Sit licet externis non comitata bonis.  
Vtile sic iustis ego religionibus aequo,  
Vtilitas verè quae pia, quaeq; proba.  
Et tamen haec nobis toto praesertur in orbe,  
Et pietas veri dicitur illa Dei.  
Talia sunt nostri labentia tempora seclis,  
Tanta fuit laudis facta ruina mea.  
Scilicet à rerum blanda nouitate tenetur,  
Adq; scelus facilis labitur omnis homo.  
Qui pius, effugiet populi mendacia falsi  
Impia, sed virtutum credula turba subit.  
Haec igitur semper colitur, laudatur, amatur,  
Forsitàn hoc etiam per breue semper erit.  
Diuinis siquidem iustus defenditur armis,  
Seruaturq; Dei pro pietate pius. ”  
Opprimitur nunquam vera pietatis amator, ”  
Quem Deus, vt spectet, vult aliquando premi. ”  
Tollì non patitur, nec enim vult sacra moueri, ”  
Fert tamen in duro pressa iacere loco. ”

G 2

At

At cur hac faciat, miratur vulgus, amicis,  
 Impia turba magis debuit ista pati.  
 „ Prospera fors multos faciles adducit amicos,  
 „ Et cum diuitibus quilibet esse cupit:  
 Quam cui si cursu mutet fortuna sinistro,  
 Vix modo de multis vnus & alter erit.  
 Qui licet exiguus numerus se prebet amicum,  
 Tunc & adest inopi sic, velut antè, viro;  
 Séque suis prostratus inops solatur amicis,  
 Tunc quoque vult meritis ipse referre vicem.  
 Sic ego cum videor socijs Ecclesia felix,  
 Experior socios, quã licet, vsque meos.  
 Et modò committo tumidis mea carbasa ventis,  
 Vt feriant nostras aquora multa rates:  
 Et modò nimbofis iactamur in aquore ventis,  
 Vt quassata raris membra soluta putes.  
 Diffugiunt dominamq; simul nauemq; relinquunt,  
 Cum paucis tumido sola resisto mari.  
 At cum nostra fides duris spectatur in vndis,  
 Seruat, & in portum nos trahit ipse Deus.  
 Datq; refertq; vicem tantis gratissimus ausis,  
 Participesq; sui præcipit esse poli.  
 Huc igitur veniat, quisquis virtutis amator,  
 Continuo properans ad mea sacra gradu.  
 Ipsa ego perpetua sum dux certissima vitæ,  
 Te committe via, me duce, tutus eris.  
 Ipsa ego progenies magni sum vera Tonantis,  
 Ipsa ego caelestis filia certa patris.  
 Ipsa ego sum, Christus cui fundamenta locauit  
 Rupea, qua nullo sunt peritura die.

Ipsa

Ipsa ego Apostolicis humeris innixa recumbo,  
 Et mihi calorū tradita clauis adest.  
 Ergo quòd ruitis? cauto quid creditis Orco,  
 Quãue placet vitam perdere sponte tuam?  
 Creditis insigni fraudum scelerumq; magistra,  
 Dum noua scripta iuuat profusus iniqua sequi:  
 Illa quidem pulchros promittit & æthera calos,  
 Cùm neque pollicitis astra petenda forent.  
 Vera salus Christo vobis dependet ab vno,  
 Omnis ab hoc posci non aliunde potest.  
 An dubitatis adhuc? eius cognoscite vitam.  
 Illius ad mores ponite facta meos.  
 Scilicet ex fructu viridis cognoscitur arbor,  
 Scilicet ex fructu proditur illa suo.  
 Sæpe quidem pulchrũ dependet ab arbore pomum,  
 Quale nec in toto cernitur esse choro.  
 Quod modò si carpas & penè inspexeris intus,  
 Putre sed & fœdi turpe saporis erit:  
 Hanc quoque si videas, qua mox fortasse placebat,  
 Fortiter affirmes nil placuisse minus.  
 Hoc tamen in primis cupio sub pectore condat,  
 Cordeq; conseruet quisquis amicus adest.  
 Ambitiosa cohors & seditiosa voluntas  
 Consors Imperij non erit vlla mei.  
 Sed neque scortator nec adultera turba subibit,  
 Sed neque gens nostras infidiosa domos.  
 Scilicet effugiens homines detestor iniquos,  
 Nec tangunt populum facta nefanda meum.  
 Sed tamen & iusti grauiter cecidisse putantur:  
 (Pectora non adeò crimine nostra carent)

G 3

At



At modo post lapsum flentes admissa resurgunt,  
 Conscia mens recti non iacet vlla diu.  
 Sed vitæ illius videamus facta maligna,  
 Quæ sacra per totum dicitur esse forum,  
 Impia quæ certè mentes rationis egentes,  
 Et tumida plenas ambitionis habet.  
 An non illa viros grauiter mouisse potentes  
 Dicitur, & studio facta maligna sequi?  
 An non illa suos dominos hortata coëgit  
 Linquere me patrias hic & vbiq; domos?  
 Quodq; magis scelus est, nostros vbiq; ministros  
 Viderat, aut nostra signa peracta manu:  
 Expulit, euerit, vel mox furiosa necauit,  
 Aut vestes socijs excuit illa meis.  
 Sed nec ad hoc pietas, nec amor virtutis adegit,  
 Nec virtus facti dulcis origo fuit.  
 Ambitio, impietas, auri scelerata cupido  
 Impulit, vt nostras illa teneret opes:  
 Possidet & certè, quæq; olim nostra fuerunt,  
 Omnia penè ferox hostis, vt hospes, habet.  
 Namq; eadem nostras fugit malefida carinas,  
 Cum ferijt quassam vastâ procella ratem.  
 Nunc fremit atq; furit, nunc pessima pectore versat,  
 Inq; caput domine fortiter arma mouet.  
 Hæcine religio populo promissa docendo?  
 Hæc Euangelij non dubitata fides?  
 Res redit ad restim, nec adest spes vlla salutis,  
 Si non ambitio ducitur esse scelus.  
 Quid taceo totum quot seditiosa per orbem  
 (Eheu) sanguinea mouerit arma manu?

Lutherus

Cæc

Seu vel ad occasum specto vel solis ad ortum,  
 Vndiq; Christicolam corpora fusa iacent:  
 Et modo lesuræ Germania colla securi  
 Præbet, & à rapidis membra secanda feris:  
 Et modo luctifico sunt omnia plena dolore,  
 Purpureusq; suo sanguine Rhenus abit.  
 Nuper in Hollandis (dictu miserabile) terris,  
 Nescio quam multos tradidit illa neci.  
 Gorcomium taceo, Dortum, Goudamq; relinquo,  
 Prætereo patriam Rotterodame tuam:  
 Supprimo Scheydamū, cū Leydis negligo Delphos,  
 Quæq; Gigantæa Flerdiga structa manu:  
 Harlemum sileo, nec non Alcmarian, illic,  
 Mater enim natum prodidit ipsa suum.  
 Sit satis in magna flentes quæ vidimus vrbe,  
 Quæ sibi de fluuij nomine nomen habet.  
 Hanc siquidem inuasit ciuesq; necare parauit,  
 Perdidit innumeros obsidione viros.  
 Curia plena fuit, fuit area plena forensis,  
 Plenus purpurei sanguinis Aemster erat.  
 Strataq; tum vidi tot millia multa virorum,  
 Quot nec habet placidas Hybla perennis apes.  
 Magna quidem refero, quæ possint maxima dici,  
 Nec finis tamen est, vix gradus esse potest.  
 Nam dictis maiora meis scelerata peregit,  
 Imperium latè Rex vbi Gallus habet.  
 Hic meæ sacra suis manibus (vix profero) fregit,  
 Vt ne reliquias nunc superesse putem.  
 Hic hic mille simul suspendit ab arbore iustos,  
 Sorteq; procubuit vir mulierq; pari.

Anabaptistæ.

Anno 1562,  
Amsterda-  
mum.

Caluinus

G 4

Suppli-

Supplicis infantes raptavit ab ubere matris,  
Atque etiam letho matre vidente dedit.

Moxq; subornavit quendam periuram Simonem,  
Qui stravit nostrum prodicione ducem.

Adde quod & Treuir ciuilia bella securus  
Ruperit excluso Principe iura suo.

Audet ibi peruersa nefas molita scelestum,  
Præconem studij constituisse mali.

Qui velut insiciens lethali corda veneno,  
Detrahat incautos ad malefacta viros.

Hæc est religio studijq; professio sacri,  
Hæc eius pietas, hic pietatis honos.

Cetera quid dicam scelerata crimina vitæ?  
Quæ modo si verbis prosequar, annus erit.

Anabaptistæ. Nam modò nescio quæ connubia turpia fingit,  
Concubitusq; vagos clamitat esse pios.

Pars dum coniugium commune doceret habendū,  
Omnibus esse pares præcipiebat opes.

Quid multis opus est? atrociam multa parauit,  
Et populum sectas fecit habere nouas.

Hinc verò lacrymas, hinc prælia surgere vidi,  
Hinc & seditio plurima nata fuit.

Hinc famulos nostros proprijs excedere tectis,  
Et socios sacra cogit abire domo.

Hinc lacerat veros fallax ecclesia cultus,  
Et culcat valido numina nostra pede.

Hinc me, cum facerem nuper mea sacra, coëgit,  
Sæpius ob missas linq̄ere cœpta niues.

Hinc Venus & rerum colitur vesana libido,  
Hinc (breuiter dicam) ceu sacra nulla iacent.

Gaspar Oli-  
uianus Ar-  
ropæus di-  
scipulus Cal-  
uini.

Argentine  
factum est, vt  
propter mis-  
sas niues ad  
altare, ince-  
ptam Missam,  
debuerit fa-  
cer. dos relin-  
quere. Anno  
1560.

Tæ

Tu verò stygij fallax serpentis imago,

Quid ponis capiti florida ferta tuo?

Quid ducis de me, tæquam sim victa, triumphum?

Non est cum dubio gloria certa viro.

Quid blandita tibi frustra letaris ineptè?

Quidue putas nexis vincere posse dolis?

Semper adesse bonis clementia numina Christi,

Noueris: hic iustis tutor vbique fuit.

Pestifero tumidos agitas sub pectore motus,

Lingua negat verum perniciofa loqui.

Verba dolis sunt plena malis, sunt plena veneno,

Telaq; vipereo sanguine tincta rubent.

Obsecro cur vitium pulchro præponis honestor?

Cur me neglecta vis malefacta sequi?

Ne confide tuis factis vel viribus vnquam:

Solus habet, robur forte potensq; Deus.

Nil scelere affectes opibus confisa malignis,

Diuitia pereunt, punit iniqua Deus.

Ad mea sacra redi (siquidem libet vltro vocare

Vt gallina suas optima mater aues)

Et quæ mox dira canibus laceranda dedisti,

Nunc eadem placida collige membra manu.

Sic olea similis mecum potes esse virenti,

Et poteris Domino sic placuisse meo.

Et tibi sic, quoscunque voles subijisse, laborum

Successus facilis, prospera finis erit.

Nam sibi perpetuo iustos conseruat & ornat,

At male confisos vult perijisse Deus.

Abnuat atque timet Dominos, quos ipsa sefellit,

Non metuit Dominum perdit a turba meum.

G 5

Vos

*Vos verò Dominam qui me reuerenter amatis,  
 Ponite cum solo spemq; fidemq; Deo.  
 Sed, neq; vertatur facili sententia verbo,  
 Fixa sed infideant mentibus ista pijs.  
 Precipio & vobis vt dignè sacra colantur,  
 Quos decorat celsus Pontificalis honor:  
 Scilicet vt nostra maneant concordia vita,  
 Sincerusq; pia religiois amor;  
 Et simul oremus Dominum, si demere nolit,  
 Vt mala numinibus mitiget ista suis.*

FINIS.

## VENERANDO ET CLA-

RISSIMO VIRO D. ADAMO BARTHOLOMÆO. S S. Theologiæ Licentiato,  
 Monaci apud diuam Virginem Decano  
 dignissimo, Domino suo & Patrono,

*Hannardus Gamerius Mofaus, S. D.*

MIHI de tuo erga me beneficio compenſando cogitanti, quòd tam humanè & peregrinum & ignotum excepiffes, in mentem venit nò ingratum fore: ſi aliquod ex meis lucubrationibus carmen tuè Reuerentiæ dedicarem, eo maximè motus, quòd pluris litterarum dona facere ſoleas, quàm eris aut auri facti, aut alia eius generis munera, quæ vendentes magis quàm donantes decet. Has itaque ideas, ſiue rerum figuras hic veluti inducta voce loquentes; quas ab homine magis ingenioſo, quàm docto cõpoſitas ex Hantuerpiana lingua in Latinum carmen

carmen, eadem vbique ſeruata ſententia, conuerſi: Tuæ excellenti Reuerentiæ conſecro. Quod autem in Sortite eſt peccatum (malè ſpecies, malè cauſa, malè effectus coherent) me corrigere potuiſſe, ſed non debuiſſe, pro tui animi candore & prudentia facile iudicabis, qui interpretis modeſti, nò correctoris arrogantis fungebar officio. Quales quales autem ſunt, aliquam (niſi fallor) cum voluptate coniunctam vilitatem adferent. Vale, ex Ingolſtadio, Calendis Aprilis.

## CONCORDIA.

*En ego, quæ vero Concordia nomine dicor,  
 Geſto manu turres, & ſaxa molaria voluo.  
 Scilicet aduerſos dum vis mea fertur in hoſtes,  
 Deuincens alios nunquam ſuperabilis vlli:  
 Flebilibus mœſta resonant vlulatus edes  
 Seruitio preſſa, nam cum ſpe tollo ſalutem,  
 Ac ignominia tergis do ſigna ferenda:  
 Quæ paſſim varijs nunc in regionibus extant.  
 Qui tamen eſſe cupit vitæ concordis amator,  
 Hoc ſaltem ſtudeat (niſi vult erraſſe videri)  
 Vt mala carceribus clauſis diſcordia detur.*

P A X.

*Pax ego pulchra vocor (Pacis Concordia mater)  
 Quæ tribuens cunctis maturum fructibus vſum  
 Do ſata lata ſuis aptè flauelſcere campis.  
 Pauper egens & opum qui ſemper dines abundat,  
 Ciuis, & inducto terram qui ſcindit aratro:*

Quiq;

Quiq̄ melancholicus natura tristis & asper  
 Bile tumet nigra : placida se tempore pacis  
 Ingenuè recreat furias oblitus & iram.  
 Nam mihi pro scepro ramus frondentis oliuæ,  
 Quem Noa comprehensum cum turturis ore videret,  
 Signa sibi terra tuò certissima fecit.  
 Porro nec horrendi socialia fœdera Martis  
 Curo, nec insidias: sed enim delector amicus:  
 Qui cupidè studio post ponunt omnia nostro.

## D I L I G E N T I A.

Si mea fortè meo cum nomine facta requiras,  
 Sedulitas dicor: qua nullum posse carere  
 Perspicuum satis est, nisi quis sine fructibus auum  
 Transigat, & nulla subeat cum laude pudorem.  
 Seuiò verberibus si fortiter ire recusent,  
 Et festina meis pedibus calcaria nectens  
 Incito cessantes, stimulum currentibus addo,  
 Ne qua parte viros somnus subrepat inertes.  
 Me duce grandis opum populo cumulatur aceruus,  
 Me duce conficitur, duce me corraditur aurum,  
 Quo tremulam possit quis sustentare senectam.  
 Ergo via tota stultè delirus aberrat,  
 Qui nostrum fugiens studium studijq̄ laborem,  
 Dicitur auersa facie spreuisse magistram:  
 Namque laboranti victum mea cura ministrat.

## F O R T V N A.

Talibus officium peragens dum quisque laborat:  
 Adueniens flecto nostras ad vota carinas:  
 Aspiro: facilemq̄ rotis currentibus artem  
 Prebeo: & exhibeo sic me Fortuna secundam:

Sic

Sic onero loculos: sic impleo scrinia nummis:  
 (Gaudia ne desint pro paruo magna labore)  
 Sæpius vt nimium donis onerata fatiscant.  
 At nullis æterna bonis fortuna moratur,  
 Nam sensim fugiens vacuas elabor in auras.  
 Sperno, meis ventis qui pandere vela recusant:  
 Hunc quoque deturbo, qui nostra sorte beatus,  
 Dat nusquam misera parcus solatia turba.

## O P U L E N T I A.

Fortuna spirante meas Opulentia vires  
 Colligo: nam, toti cum sim gratissima mundo,  
 Aedifico pulchras claris in partibus ades.  
 Sed tamen huic magni signum predico doloris,  
 Qui, vel diuitijs vel opum vi freris, inanes  
 Inflatus buccas, miserum contemnit amicum,  
 Aut etiam irato qui corripit ore propinquum.  
 Scilicet hoc hominum posthac genus omne dolebit,  
 At, Evangelico pariter cum diuite frustra  
 Implorabit opem, sed erunt sine pondere voces.  
 Ergo (precor) frater (ne quis te fascinet error)  
 Vt, quocunque Dei te ducit sermo, sequaris.

## O T I V M.

En, quod perpetuò cuncti sectantur, amantq̄,  
 Otium opes faciunt, sed Auerni claustra recludens,  
 Terrigenis dicor multorum caussa malorum.  
 Alea quaq̄ suos profundit tibia cantus,  
 Sambuca & mulier, quæ ludo nomina fecit,  
 Quiq̄, per insidias, ceu latro, calculus errat,  
 Magna sodalitiij semper sunt gaudia nostri,  
 Tempus & horarum docti male puncta locare.

het brotmes  
 fuit.

Sed

*Sed tamen hac coram Domino si iudice vana,  
Si poena fuerint etiam maiore luenda:*

*Quid tandem nobis faciendum dicitis esse?*

*Hac Evangelici cum damnent crimina vates.*

## G V L A.

*Sum Gula, quæ nunquam potu saturanda ciboꝝ,  
Deliciosa quidem, sed sola per otia nascor.*

*Vt q̄, sues rostro sordes & ster cora vertunt:*

*Sic epulis stomachum, sic vino corpora dedunt:*

*Et sic proluvie deturpant omnia ventris:*

*Sic naturam onerant multorum mole ciborum:*

*Denique sic socij traducunt tempora nostri:*

*Ac Epicureo sint turba simillima porco;*

*Quippe sibi mortem studio conscire videntur.*

*Ergo qui sapiens, spectator amice putato,*

*Deuitanda tibi sociorum damna meorum:*

*Nam vereor cunctos stygijs consumier vndis.*

## L V X V R I A.

*Luxuries ego sum, quæ delectabilis ore,*

*Quæ color & sio populo ceu numen ab illo,*

*Dedita qui nutrit turpissima pectora carni.*

*Nam titillanti cum sim dulcissima tactu,*

*Sacchara delicijs postponunt Indica nostri,*

*Vrforum similes, qui, cum per deuia currunt,*

*Arceri à nostra vix consuetudine possunt.*

*Namque ego quæ foueo complexu pectora nostro,*

*Nunc premo, nunc tacitæ do basia plurima fronti,*

*Brachia demittens per totum mollia corpus.*

*At postquam piscis iactis in retibus hærens*

*Sentit adesse necem, tunc pectore tristius eheu*

*Prouocat,*

*Prouocat, incertus qua cali parte moretur,  
Namque alo terribilem pulchra sub veste geheamã.*

## I N V I D I A.

*Inuida mens ego sum mecum durissima versans,*

*Multa mouens & multa minans atroꝝ veneno,*

*Si quod tango, necans: nam tabida porta malorum*

*Dicor, & inuisi certissima ianua Ditis.*

*Vt iustis noceam noctesq̄, diesq̄ laboro,*

*Nec foueo nostris quidquam dulcedinis alis,*

*Sed gero tela malo multo peiora veneno:*

*Va vobis igitur, quos, cum prauenero, tangam.*

## B E L L U M.

*Criminibus sceleriꝝ, vacans & atrociter atrox,*

*Impia defendens & proditoris abundans,*

*Dicor, ab aduerso non fausto nomine Bellum.*

*Crescentes segetes, fata lata, boumq̄, labores*

*Et fruges noui crepitantibus vrere flammis.*

*Omnem vinco modum, nec agor rationibus vllis,*

*Sed facio quicquid diri mens inuida suadet,*

*A qua progeniem videor mihi ducere nostram.*

*Destruo, depopulo magnas cum mœnibus vrbes,*

*Diripio, furor, seuorum more latronum*

*Seuio & iugendo: si causam fortè requiras,*

*Pro causâ mihi sunt vitæ commissa prioris:*

*Nam vindicta mali facti pro crimine ducor,*

*Quamuis innocui per me quandoque premantur.*

## P A V P E R T A S.

*Proelia dum tumido sonitu Mars feruidus vrget,*

*Paupertas mendica domos ac ostia pulso:*

*Et redeo toties, vt sim mihi sæpe pudori,*

*Ac alijs*

Ac alijs odio, cum vox auersa repellit.  
 „ Sed tamen in testis ego diuitioribus hospes  
 „ Sapius excipior, quia sors male diuitis errat,  
 Et qui diues erat per bellum pauper abiuit,  
 Sint licet hoc animo qui dissimulare videntur.  
 Quare prospicias, dum felix fauerit aura,  
 Ne paupertatis mala postmodò nota probentur.  
 Nam victum miserè per singula tecta requiro.

## P A T I E N T I A.

Spe trahor & lactor rerum patientia victrix,  
 Conscia quod dominus populos sibi subdat & orbè,  
 E cuius manibus non est euadere tutum.  
 Hinc toties posco tranquilla commoda pacis,  
 Hinc semper foueo mihi bona publica mente:  
 Atq; vrinam nostris des tandem vocibus aures,  
 Nec dedigneris lacrymas vidisse vocantis,  
 Mi Deus, vt iustos, ceu pastor ouilia cures.  
 Scilicet hac multùm, mea pectora cura remordet.  
 Cetera qua restant patiar toleranda libenter,  
 Non fore confidens, vt me Deus alme relinquant:  
 Sed tibi sperata vero pietatis amore  
 Freta, libens credo, & duros perpeffa labores  
 In molli tanquam gremio securo quiesco.

## L Æ T I T I A.

Latitiam dulci fundit patientia partu:  
 Qua recreo cunctos, qua vultu cuncta sereno,  
 Qua possint homines etiam iuuenescere cani.  
 Nam me latitiam sapiens vir semper amabit.  
 At nimium felix & parte beatus ab omni,  
 Qui virtute pius certissima gaudia condit,

Vt sic

Vt sic aeterna lucretur premia vita.  
 Nam qui mundanis dedit sua pectora rebus,  
 Postmodò cum gemitu detrusus ad infima flebit,  
 Vt docuit noster quondam de diuite Christus.  
 Sic exultantes igitur gaudete beati,  
 Sed taceo, verbum sat erat sapientibus vnum.

## C H R I S T I R E S V R R E C T I O.

Hoc, qua multarum faciam compendia rerum,  
 Conditè conclusum fido sub pectore carmen,  
 Mortuus in Christo virtute resurget amictus,  
 Pro meritis referens cum digna premia laude.  
 At subit infernos nimium miserabilis ignes,  
 Qui duce postposito finit sua tempora Christo.  
 O homo (si nescis) summi tu patris imago,  
 Qui genus à clara progressus origine ducis.  
 Hoc igitur studeas, vt re tibi Christus in omni  
 Principium & medium, nec non sit terminus idem.  
 Sic erit vt sceleris sint irrita vincula nostri,  
 Sic erit vt cali pulchram ducamur ad arcem.

Virtus premi, sed opprimi nunquã  
 potest: Soli Deo sit gloria.

H

Sequun-

Sequuntur duæ Elegiæ: quarum prior, sub explicatione Somni, laudes R. D. Ioannis Bredelij, Abbatis in Monasterio Vranio, reliquorumque doctissimorum ibidem fratrum, D. Petri Elleri Prioris, D. Georgij Simonidæ Cellarij, D. Reichardi quæstoris, &c. cum eruditionem, tum pietatem commendat: Posterior gratias agit D. Danieli Mauchio.

## PRIMA.

**N**ox erat, & placido dederam mea corpora somno,

Afficiunt animum talia visa meum:  
 Mons mihi conspicuus: se præbuit vltro videndum,  
 Et iuga gramineo lata fuere solo:  
 Silua fuit iuxta nulla percussa securi,  
 Aut nemus, aut lucus, sed (puto) lucus erat:  
 Garrulus obliquo prolabitur agmine riuus,  
 Murmura sunt placide cuncta fluentis aquæ:  
 Clara ministrabant radiantis lumina Phœbi,  
 Vt solet æstati candidus ire dies.  
 Aura fauet ventis toto mitissima celo,  
 Dum Zephyris vernas spirat ab ore rosas.  
 Lene sonant volucres & cantibus æera mulcent,  
 Et pecus in viridi luxuriatur humo.  
 Vndique iucundis operitur frondibus arbor,  
 Pulchraq; stat folijs quælibet herba suis.  
 Credita quæ fuerant depromit semina tellus,  
 Lataq; fecundum pascua gramen habent.

Omnia

Omnia sunt tepidi certissima Veris imago,  
 Credibile est illis numen adesse locis.  
 Nec mora, progressus Musas ad Apollinis arcem  
 Inuenio nota tangere plectra lyra.  
 Ausus eram nostro versu colludere Musis,  
 Ausus eram nostra plectra mouere manu.  
 Ausus in aspectum vates venisse Dearam,  
 Astrinxi numeris verba ligata suis.  
 Risit, & ingenium tacite miratus Apollo,  
 Dicitur aduentu latior esse meo.  
 Pegasides risere Deæ, quæ fontis ad vndam  
 Alati resident signa tenentis equi.  
 Risit, ut agnouit, teneris mihi culta sub annis  
 Melpomene, vultu qua solet esse truci.  
 At verbis pariter blandis ac vocibus vsa,  
 Sic ait, ad superas qua docet ire vias:  
 Quisquis es, es gratus nostris in sedibus hospes,  
 Nam scio, quod nostri sit tibi cura chori.  
 Quoq; minus dubites, noſter tibi seruiet ordo,  
 Communi poteris fonte leuare sitim:  
 Felicemq; trahens mecum per secula vitam  
 Gæmerius vite pars erit vna mea.  
 Sic ait, & nostro saliant in pectore vene,  
 Nam videor voti compos adesse mei.  
 At nimium frustra titillant gaudia pectus,  
 Gaudia successus non habitura suos.  
 Namque ea dum versat nostram vesania mentem,  
 Excitor, ac animi somnia culpo mei.  
 Sed tamen omen habent, quia sunt præſaga futuri,  
 Et, quia prædicunt, omnia pondus habent.

H 2

Veraq;

Veraq; tam poterunt, quam qua verissima, dici,  
 Cum somno potuit verius esse nihil.  
 Nam postquam Vrania sedi data templa subiui,  
 Aspexi Domino regna colenda Deo.  
 Salue festa dies albis signata lapillis,  
 Salue delitijs pene beata mens:  
 Salue festa dies cunctos celebranda per annos,  
 Salue latitie caussa caputq; mea:  
 Sis felix, venitis, quaecunque fauentibus, aura  
 Adfuerit misero sola benigna viro.  
 Quas non delitias? qua non ego gaudia cepi?  
 Digna sed ingenio non referenda meo.  
 O domus Aonidum Phœbi certissima, custos,  
 O domus ætherio digna sub axe vehi:  
 Quo veneranda tuas complectar carmine laudes?  
 Quisue dabit meritis præmia digna tuis?  
 Nam velut in trinitis, cum quæ sit nescit eundem,  
 Suspendit dubius sæpe viator iter:  
 Sic me conantem per laudes ire tuorum  
 Ferri diuersa copia parte iubet.  
 Undique nomen habes rebus caelestibus aptum,  
 Et pars consilij non vacat vlla suis.  
 Ergo quod ignotum tacite latuisse videtur,  
 Vranie factum nomine nomen habe:  
 Sive, quod Vrania præsit tibi Musa regenda,  
 Sive, quod hinc nomen, progeniemq; trahas.  
 Quisquis is, in serie posita, fuit ordinis auctor,  
 Aut Deus, aut superis non inimicus erat.  
 Si montes videas pulchrasq; in montibus ornos,  
 Quæq; sub arboribus dulce queruntur aues:  
 Credideris,

Hemclraet.

S. Bernardus,  
 vide fecundã  
 Eclogam.

Credideris, sacri dulces Heliconis alumnas  
 Murmura carminibus blanda mouere suis.  
 Alter, verticibus qui mons petit alta duobus,  
 O PARNASSE biceps, par tibi numen alit.  
 Non desunt gelidi, qui pascant lumina, fontes,  
 Non desunt placida, cum sitiuntur, aquæ.  
 Fons ibi Castalius dulces Aganippidos vnda,  
 Quo pepulisse suam fertur Apollo sitim.  
 Nil, nisi læta sonant, nihil hinc lacrymabile vidi.  
 Est procul hinc, toto quicquid in orbe mali.  
 Hinc ibi composito ducuntur in ordine fratres  
 Ingenio Musis & pietate pares.  
 Hinc amor, hinc sanctæ regnat concordia pacis,  
 Iurgia cum fugiant, hinc for a lite carent.  
 Vranium caeleste sonat, caeleste vocatur,  
 Nomine cum rebus conueniente suis.  
 Sic igitur veras ostendunt carmina Musæ,  
 Et dant Castalia concubuisse deæ.  
 Fortè quis obijciat, veterum mendacia vatium  
 Non argumentis esse probanda meis.  
 Et fateor certè, siquidem leuiora videntur,  
 Quàm possint aliquam rebus habere fidem.  
 Ergone me patiar somnis fallentibus angî?  
 Et pariter visò pondus abesse meo?  
 Non fero victorem, quamuis consultus Apollo  
 Contra me tripodas consulat ipse suos.  
 Scilicet est Musis & Apollo BREDELIVS illis,  
 Qui subit Aonidum Pieridumq; vicem.  
 Ille fauet doctis doctissimus ipse Poëtis,  
 Et pater & patria gloria prima sua.

H 3

Integer



Integer est animus, mens illi suppetit apta  
 Nomen amicitiae non fugitura mea.  
 Ille fauet studijs, blandas fouet ille Camenas,  
 Has agitat totos sedulus ipse dies.  
 Moribus ingenio, nulli pietate secundus  
 Exemplum vita dat probus vsque sua.  
 Is quoque Gomerio tristis fuit vnicus hospes,  
 Cum faceret somno pondus inesse meo.  
 Tu felix igitur tali sub praesule degis,  
 Qui colis Vranio rura propinqua Deo:  
 Qui pater & felix mancat viuatq; superstes:  
 Vltima sunt scripti vota precesq; mei.

ELEGIA SECVNDA EX  
 tempore scripta.

Titulum litteræ initiales continent,  
 HINC ego cum propero Spirā peregrinus ad urbē,  
 Atque abitus animo cogito saepe meo:  
 Nescio qua subitō nostras vox venit ad aures,  
 Nestoris irati sed mihi visa fuit.  
 Atque ait, ingratum non te laus vlla mouebit?  
 Res tibi num cura pessima semper erit?  
 De te promeritos si non, MOSÆ salutat,  
 Versibus indignum te facis esse tuis.  
 Sic ait, & falsam dubito veram ne putarim,  
 Dum tonat immensum, sed (puto) vera fuit.  
 Omnibus ergo modis cupio cognoscat amicus,  
 Me gratum meritis carmen habere suis.  
 Ingenueq; simul grates me velle referre,  
 Ni vetet hoc misero fors inimica viro.

O quo-

O quoties ego, care, tuas in carmine laudes  
 Dixero, & d, meritum, doctæ Gebharde, tuum.  
 Ah quoties repetam Danielis carmine mentem,  
 Nomen & hoc gratum quàm mihi semper erit.  
 Ille animis & mente fauet nostroq; labori,  
 Et pariter nostro condolet ille malo.  
 Legis & innocua iustus pietatis amator  
 Ingemir, & casus flet miser ipse meos.  
 Me fouet, atque fauet, quē nunquam vidit, amico,  
 Ac amat vt natum me pater ille suum.  
 Vfus is est in me verè pietate parentis,  
 Conspiciuè officium praestitit ille nouum.  
 Hei quant um & quoties non est numerare, beatū,  
 Is quàm mox miserum fecerit esse virum!  
 O quibus hunc dignè verbis celebrabo parentem?  
 Carmina qua tanto digna parente canam?  
 Attulit ille meo solatia multa dolori,  
 Numen & in nostris adsuit ille malis.  
 Omnia qua potuit, vel maxima, contulit in me,  
 Non vnquam merito persollienda meo.  
 Is dedit ingenij facili confecta labore  
 Carmina, delitijs vndique plena suis.  
 Omnia que sanctè, ceu sint oracula, seruo,  
 Et cupio scriptis inseruisse meis.  
 Testanturq; pium Iessæ carmina vatis,  
 Scilicet illa mihi scripta legenda dedit.  
 Corpus & hoc aluit tota compage solutum,  
 Hospitium misero fecit & ille mihi.  
 Osibus ille meis vires & robora fecit,  
 Libera dans animis ocia grata meis.

D. Gebhar-  
 dus Brautper-  
 gerus vtriusq;  
 iuris Doctor.

H 4

Adsuit

Adfuit in studijs nostris certissimus auctor,  
 Scribendisq; simul versibus ille fuit.  
 Tædia præteriti pellit sermone doloris,  
 Ille facit verbis mollia corda suis.  
 Constituitq; locum faciendis versibus aptum,  
 Omnia qui Phœbi numina verus habet.  
 Et me Pierijs fecit consuescere Musis,  
 Carmen & ad Musas posse redire suas.  
 Conuiuiaq; meos ad prandia ducit amicos,  
 Laudat & ingenium plus satis ille meum.  
 Et dicit: Nostrum volui te cernere vatem,  
 Scribere Nasonis carmina more potest.  
 Ille sacros tenui modulatur arundine cantus,  
 Aethereo verè carmina digna Deo.  
 Vt vult, & quoties poterit describere quicquam,  
 Vt vult ingenium temperat ille suum.  
 Omnes Vuormatia peregrinus carmine laudes  
 Reddidit, & magnum perbreue fecit opus.  
 Maxima Gæmeriæ laus est & gloria gentis,  
 Ac decorat studijs patria regna suis.  
 Talibus atque alijs laudat mea carmina verbis,  
 Ingeniumq; meum talibus ille probat;  
 Aeternumq; simul me viuere dicit in æuum,  
 Et mea cum doctis scripta futura viris.  
 Tu verò DANIEL doctorum maxime doctor,  
 Ingenuè scriptis semper habende meis:  
 Viribus eloquij, qui mentis acumine polles,  
 Rustica Gæmerij cur, pie, scripta foues?  
 Ipse ego, qui careo nummis auroq; superbo,  
 Sum miser, & nullas adfero pauper opes.

Vestis

Vestis & hæc aded cùlta est, vt abominer ipse,  
 Tritaq; per pates soluitur illa suas.  
 Regia sed nostrum neque vestit purpura corpus;  
 Illud enim tectum linea vestis habet:  
 Vt pote qui totus, mea si mihi carmina desint,  
 Sum miser atque IRO paupere pauperior.  
 Quas igitur grates, pater ò dignissime, dicam?  
 Vt cuperem meritis dignus adesse tuis.  
 Et quæ pro meritis ego dignè facta rependam?  
 Debita pro donis quæ tibi dona feram?  
 O vtinam liceat pro dignis digna referre,  
 Conspicuoq; simul tradere dona viro.  
 Tunc ego, sentires, facerem me munere gratum,  
 Omne ferens nostro munus opemq; patri.  
 Rem verò fortuna mihi non æqua negauit,  
 Impositis sed enim cogit abire malis.  
 Scilicet exceptis Musis nihil illa reliquit,  
 Vndique, si demas carmina, pauper ero.  
 Ocia sunt mea Pierides nostriq; labores,  
 Musæ sunt etiam census honosq; meus.  
 Oenone ac Helene Venus & mea sola voluptas,  
 Consiliumq; animi diuitiaq; mei.  
 Ergo velis quod amice potes, dum prouidus ista  
 Nomine cum titulo scripta notata leges.  
 Ac animum, sed non pretium donantis habeto,  
 Ter dat, habens vna, quod dabit omne, manu.  
 Ipse tibi, quæ danda mihi nunc dona supersunt,  
 Adfero delicias, carmina nostra, tuas.  
 Gratia dicta tibi, sed non satis apta patrono:  
 Ignosces virijs (si quid aberro) meis.

H 5

Te

*Te Deus incolumem nobis alijq; referuet,*

Nam solet ex  
pedibus labo-  
rare.

*Grata sit in pedibus paxq; saluq; tuis.*

*Rursus ab externa, quod me, regione, profectum,*

*Accipias fessum cordaq; nostra leues.*

*Tunc latum inter nos (quando conuenimus ambo)*

*Intus amicitia non nisi fœdus erit.*

*At Spiram propero, tu, dulcis amice, valeto,*

*Sisq; memor nostri, quod tibi dico, Vale.*

Τέλ.⊙.

ὁ φθὼν⊙ εἰς διὰ λειπῆτος ἐστὶ, καὶ ἀχάριστος⊙  
τῆς ἐν πρᾶξι συνοδοιπέρου⊙.

Nihil excellens sine inuidia.

Virtus premi, sed opprimi nunquam  
potest.

HANNARDVS GAMERIVS

CANDIDO LECTORI

S. D. P.

**C**VM Bucolicorum meorum e-  
ditionem properarem, lector  
candide, monuerunt me amici  
mei & patroni, viri in iudican-  
dis scriptis acerrimi & sani iu-  
dicii, vt singulis Eclogis singula argumenta  
addiderem: illud consilium postquam  
esset visum vtile & necessarium, arrepto ca-  
lamo, illa in finem reieci, virorum & lo-  
corum propriorum ignota nomina (vt sem-  
per fit in Bucolicis) adiiciens. Quod si aliquē  
ex ijs fructum percipies, non mihi, qui non  
libenter feci, & qui sine monitore non fe-  
cissim: sed illis viris & clarissimis & do-  
ctissimis habeto gratias. Vale.

DE BVCO-

DE BUCOLICIS ET EORVM  
APPELLATIONE, ITEM DE OR-  
TOGRAPHIA VOCIS (ECLOGÆ.)

**P**riusquam ad argumēta deueniam, putauī esse le-  
ctorem admonēdum de appellatione huius poē-  
matis, nam Theocritus εἰς Βούλιαν quasi paruam car-  
minis formam vocat. εἰς Βούλιον enim diminutiuum  
est à primitiuo εἰς Β, quod formā, speciē sonat. Bu-  
colica vocat Virgil. quē ego imitatus sum; ἀπὸ τῆς  
Βοῦν. id est, à bobus velut à præcipuo animali. nā, vt  
ipse ait, pastorū gloria vacca. Postē de huius scripti  
origine, varias auctorum opiniones recensere, quas  
(quia nihil utilitatis habet) in præsentia prudēs o-  
mitto. Illud verò per silentiū prætereundū non est,  
quòd, Ecloga, debet scribi; nō Egloga, siue Aegloga,  
quēadmodū sopsiit a quidā hætenus sine vlla ratio-  
ne voluerūt ab αἰζ, αἰγός. id est, capra, quasi sermo  
caprarius, quod nullo modo fieri potest: ratio enim  
Græcicæ cōpositionis legitima ita dici posse negat.  
Non enim scriberetur Aegloga, verūm Aegloga:  
neg, tunc ratio patitur, nusquā enim apud Græcos  
similis inuenitur cōpositio: nisi quis (Aegologus) le-  
gat: quod doctorum virorum auctoritas negat.

Ecloga (Ἐκλογὴ) verò dicitur, quasi electa oratio  
ἀπὸ τῶν ἀλλήλων. id est, ab eligendo, cuius cōpositio-  
nis auctoritatē & vocis usum M. T. Cicero probat  
in secunda epistola libri 16. ad Atticum, vbi ab Eclo-  
ga Eclogarios, simpliciter & purē loquētes vocat &  
deducit. Sed satis hæc sint de appellatione horū no-  
minum. nunc ad ipsa Bucolica veniamus.

ARGV MEN-

ARGVMENTA IN HAN-  
NARDI GAMERII MOSÆI  
BUCOLICA.

ARGVMENTVM IN PRIMAM  
ECLOGAM.

**T**RACTAT hæc Ecloga de seditione Treui-  
rensi, à Gasparo Oleuiano Iuris doctore ex-  
citata. Hic cum è Geneua ad suos ciues Treuiros  
(nam ille ibidē patre pistore natus erat) rediisset,  
à Stufiorum familia benignē exceptus est,  
& ab omnibus ciuibus magno in honore habi-  
tus. Ille verò paulò pōst sui, & magistrorū suo-  
rum, nempe Ioannis Caluini, & Theodori Be-  
zæ hæreticorum fatalium non oblitus, impia a-  
nimi (vt puto) suadente conscientia, (nam an-  
tea, vt moris est Geneuæ, in illorum sectam, &  
hæresin iurauerat) cœpit de veræ & Catho-  
licæ religionis sacris abrogandis cogitare, &  
magna Senatus parte in eandem conuersa sen-  
tentiā, sub prætextu Dialecticę docendæ, Ioan-  
nis Caluini anathemata, & somnia publicē pro-  
fiteri. Ad eius lectionis professionem concu-  
rebant, & quasi impetu quodam (nam Germa-  
nicē concionari, & conuitiari potius, quàm La-  
tinē videbatur differere) viri pariter & mulie-  
res, senes & iuuenes, docti & indocti, nobiles  
& ignobiles simul ruebant. Vsq̄ue adeo homi-  
nes à bono ad malum procliuēs sunt. At post-  
quam illustrissimus Princeps Ioannes à Petra,  
eiusdem loci Archiepiscopus reuerendissimus,  
Oleuiani temeritatem cum pari impietate con-  
iunctam à populo, & senatu probari accepisset,  
humilioribus, humanioribusq̄; quàm Epi-  
scopus

scopus deberet scribere, datis ad Senatam litteris, & ad ipsum mali auctorem, ter dehortatus est, ut ab incepto desisteret. Illi nihilominus Episcopi litteras deridebant, & acerbe verbis superbiorebus pacē, & domini æquissimi amicitiam recusabant. Episcopus cum blandis verbis se nihil proficere intellexisset, tandem coactis copijs ciuitatem obsedit, & obsessam occupauit, & rebelli Senatu in gratiam recepto, clementia magis, quam iustitia motus è suis finibus Gasparem Oleuiam impunem ab omni scandalo dimisit. Tanta fuit illius Principis erga suos hostes, & inimicos clementia. Conqueritur ergo merito noster Rusticus, quod propter imminentem rei publicæ, & priuatæ cladem debeat à patria discedere. Culpar autem merito iniquum Senatam, & rebellem populum. Sed ad seditionem redeo. Orta fuit hæc seditio anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono. RVSTICVS, & VRBANVS, sunt hic propria nomina, non communia, siue (vt dicunt Grammatici) appellatiua. Quemadmodum apud Theocritum *ἄπυλος*, id est, Caprarius. vbi frustra se cruciat Theocriti interpres. Non enim in Bucolicis, vt in Tragœdijs, aut Comœdijs, personarum habetur ratio. Sunt Treuiri supra Vrbios populi Galliæ (si Cæsaris diuisionem sequimur) Mosellæ accolæ. Vbij sunt è regione Colonia versus Septentrionem (Germanicè nominantur *Au det Epyffel*) non minus agrestes, quam inhumani.

Numinis oblitus] Trebetas fuit priuignus Semiramidis, qui eam propter stuprum oblatum interfecit, & (si famæ credimus) illic sepulta est.

Alij

Alij tradunt à filio Nino interfectam. Ego magis à Trebeta priuigno occisam credo. Sic enim nuper in antiquo codice reperi apud reuerendum Dominum Abbatē in Hemelroet, D. Ioannem à Bredel, & postea apud Ioannem Clima-tum Canonicum Sorborchensem legi. Nec absurdum est, à Trebeta Treuiros dictos esse. vt vt res est, Treuiorum urbem Semiramis condidit, & illi Trebetas in imperio successit.

Bestia lactenti] Volui per substantiuum (Bestia) & per adiectiuum (Caluens) Bezam, & Caluinum significari, & Bezam quasi Bestiam, Caluinum, quasi Caluentem, siue calumniante dici. Vnde distichon de istis duobus tale etiam inter Lutheranos, & Caluinos, aut Zuinglianos, circumferri audiui.

*Caluinus iustos, velut ipsa calumnia, vexat,*

*Castalioneos bestia Beza viros.*

Corallis] Nomen hoc puellæ rusticæ finxi-mus, cuius laus in quinta Ecloga describitur. Et quamuis simile nomē in Eroticis nostris finxi-mus, quæ Hérico Siluio amico patricio Amsterodamo, vt carissimo; ita dignifi. & doctissi. dedicauimus, nihil eò referri volo.

Beza enim de  
Castalione  
interfecto glo-  
riatur, & ipsū  
impurum Pa-  
pistam mi-  
nar in  
contra  
italion  
fensio

Titulus (Mecrenarius) huius Eclogæ, pro argumento est. Nam Phyllide, quam Amyntas deamabat, Menalcas poritur, & sodalis sui commissas oues mulget: ita, vt Amyntas & suo amore, & sui pecoris fructu defraudaretur. Nā Aegon Menalcam cum Phyllide se deprehendisse memorat. Materia desumpta est ex Palz-

mone

II2 ARGVMENTVM IN  
mone Virgilij, & ex Theocrito Eidylio quarto,  
vbi Battus sic loquitur:

Εἶπ' ἄγε μοι κορύδων τὸ γάρηπον ἢ ῥ' ἐπι μύλλαι  
τίνας τῶν κούνοφρωι ἐρατίδα, τὰς ποτ' ἐκνήδη?

Cui interroganti sic responderet Corydon:

Ἀκμῶν γ' ὃ δειλαίε φράν γέμεν ἄντος ἐπενδῶν,  
καὶ ποτὶ τῶν μάνδρειν κατελάμβανον ἄμος ἐνάρην.

Quem locum nos ex Theocrito versum, sed  
verecundius, vsurpauimus. In summa argumen-  
tum est, Nulli fidendum esse mercenario, & ni-  
si sapiens probato amico.

Scis montem veteris] Mons veteris villæ est  
ab aduerso monti Lanio: inter quos situm est  
monasterium Vranium (quod Germanicè **He-  
melroet** appellatur) conditum ab Episcopo A-  
dalberone Treuirensi, consilio Diui Bernardi.  
Situm est autem ad fluium Salmanin inter V-  
bios, & Treuiros: cuius situm hac Elegia com-  
plexus sum.

DESCRIPTIO MONASTERII VRA-  
NII, ET DE EIVS ORIGINE.

Sunt loca perpetuo labentibus ordine ripis,  
Montibus, & siluis vndique septa suis.  
Salmanis æterno deducit flumina cursu,  
Pratæque iucundis omnia rorat aquis.  
Mille simul vini liquuntur rupibus amnes,  
Perq; suos riuus plurimus errat agros.  
Est piscina frequens, & amæno grata colore,  
Ob speciem piscis nobilitanda sui.  
Est ager, & raro tellus vberissima fructu,  
Et sunt in varijs plurima vina locis.

Sunt

ECLOGAM SECVNDAM. II3

Sunt gemini montes, quorum cum Lanæus alter,  
Alter ab Hamonis nomine nomen habet:  
Tertius accedit, cui fecit nomina perdidit,  
Quam (puto) nobilibus delitiosus alit.  
Est etiam quartus, Veteris quæ nomine villæ  
Vranio colitur terra propinqua solo.  
Non procul hinc locus est, qui dans tractabile ferrum  
Excellit chalybis fertilitate sui.  
Si referam lucos, & quæ fera degit in illis,  
Tum videar bobus littus arare meis.  
Pascuntur cerui, tenduntur retia ceruis,  
Sectantur leporem præuia turba canes.  
Hic quoque quem dicunt propter conuiuia natum,  
Instabili frendens sede vagatur aper.  
Arboribus reuident excelsa cacumina densis:  
Crescit in vmbriifero gramen, & herba iugo.  
Vallis habet volucrum dulces letissima cantus,  
Et pariter volucrum gaudia vallis habet.  
Sunt lati frutices, & sunt cum frondibus herbae,  
Quæq; colit segetes, & sata leta Ceres.  
Sunt quoque, quæ sacris fulgent cultoribus, ades,  
Templa celebrando semper habenda Deo.  
O decus antiquum seculi monumenta prioris,  
O domus, ô magna laudis, & artis opus.  
Diuus ei terræ Bernardus nomina fecit,  
Ingenij nervos æquiparante fide.  
Qui clara valli pater, & venerabilis Abbas,  
Præfulis exemplar dicitur esse boni.  
Et bonus, & sapiens numero laudandus vtroque,  
Et reliquis etiam doctior ille fuit.

Doolberch.  
Hymésberch.

Closterberch.

Vetus villa.  
Hondenberch.  
dem alten Hof.

III4 ARGUMENTVM IN

*Iamq̄ suis totum meritis impleuerat orbem,*

*Et totus celebri nomine clarus erat:*

*Cum fuit Eois notus Bernardus & Indis,*

*Quaq̄, capax latè terra fretumq̄ patet.*

*Scilicet illius pietas peruenit ad omnes,*

*Scilicet illius nomen vbique fuit.*

*Dumq̄ id Adalbero diuinus Episcopus audit,*

*Flagrat ab auditi captus amore viri:*

*Et facit, & firmat socio collegia iure,*

*Sed magis angusto condidit illa loco.*

Wyntrbath.

*Nam qua rura iacent hiemis profidentia nomen*

*Primitijs tanti numinis vsa ferunt.*

*Pòst tamen illorum mutata colonia fratrum*

*Ponitur hoc ipso, quo iacet apta, loco.*

*Et latet occulta nemorum circumdata valle,*

*Et nitet inclusis vndique septa vadis.*

*Hinc Bernardus ait claustrum debere vocari,*

*Dum cinctam geminis montibus esse videt.*

*Nunc quoque dicuntur Claustrensi nomine fratres;*

*Et pia posteritas nominis acta probat.*

*Nec minus Vrania celestis nomine gaudet,*

*Nec minus Hæmonis nobile nomen habet.*

*Scilicet, iste iugis olim desedit in illis.*

*At Dea Claustrenses nunc colit illa domos:*

*Quas poliens ornat, dum lege Bredelhus æqua,*

*Amissum Domina reddit Apollo decus.*

*Quem, rogo, post multos transacti temporis annos,*

*Fortiter in Domino viuere posse Deo.*

*Hanc elegiam subieci, quia etiam in alijs Eclogis fit huius monasterij mentio.*

Qui

ECLOGAM SECUNDAM. II5

*Qui potus teneris] Salmanin intelligo per arbrista, & loca amoenissima decurrentem, qualia vix credo habere fontem illum Castalium; què poetæ mentiuntur. Dico autè prodesse teneris poetis, vt calcar addam Fratribus & Monachis, qui me præceptore artem & modum còdendi carminis addidicerunt.*

*Tempora temporibus] Queritur hoc carmine tēpus peius semper peiori succedere. Quod latius hoc carmine sequente exposui, quod ex primo Metamorph. Ouidij vertimus:*

*Tempora Saturnus dulci dedit aurea mundos:*

*Iupiter incipiens deteriora dabat.*

*Peior adhuc istis successit abenea proles,*

*Et reliquis atas ferrea peior adest.*

*Sic igitur semper peius peiora sequuntur,*

*Nec sunt vt fuerant tempora nostra prius.*

ARGUMENTVM IN ECLOGAM  
TERTIAM.

**H**ic quoque titulus (Misèria) pro argumento est. Nam locis Rhetoricis & Dialecticis adhibitis, quos diligenter à studioso lectore per omnes Eclogas cupio obseruari, Corydon Trannam consolatur, & persuadens rusticū pudorem abijciendum esse, conatur illum ad templum deducere.

Postremò dat illi vestes, quas olim se cantando dicit promeruisse: nam consolantis officium est, consolationi, si res postulet, munus addere.

Tranna] Hoc nomen proprium finxi: sed cur facerem, meas rationes habui.

Hæmon. Hæmon. Hæmon in monte habitauit.

D. Ioannes Bredel Apollo & sustentator poëtarum.

Multa per Vranios] id est, Hemeratenfes. Vide argumentum in Eclogam secundam, & Elegiam ibi adiectam.

ARGVMENTVM IN QVARTAM  
ECLOGAM.

**C**ontinet hæc Ecloga iniurias hæreticorū, quòd illi præcipuè suis dogmatibus vniuersam Reipub. Christianæ societatem turbēt, ne dicam, quod verum est, subuertant.

Argentina] Ciuitas est Germaniæ vt ditissima, ita nobilissima, (Germanicè **Strasburg**) quæ Lutheranismum colit, relicta religione Catholica, & suo Episcopo verè Reuerendissimo, D. Erasmo à Lympurg.

De Batti nomine] Battus fuit primus princeps, qui Hollandis imperauit, à quo Batavi (lōga penultima, aut breui) Hollandi dicti sunt.

Redde pater] Semper decimus versus est vsque ad mediam Eclogam, quæ admodum apud Virgilium: Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnin.

Alta Semiramidis] Semiramis Assyriorū regina fuit, quæ Treuirorum ciuitatem condidit, & à priuigno suo propter oblatum stuprū interfecta est: aut (vt alij volunt) à filio Nino, vt in prima Ecloga dictum est.

Mosellæ] Vbi sumus hoc fluij nomine in feminino genere, auctoritate freti Antonij, qui Mosellam diem nominauit, Ioannes Calvinus, & Theodorus Beza satis noti sunt. Habitant autem Geneuæ, quam ciuitatem nuper quidam Genabum dixerunt, sed malè.

Excipit infelix] Gasparem Artopœum Oliuanum

uanum intellige, de quo in prima Ecloga.

Turpiter in vetitos] Istos amores impurissimi hominis libenter omitto, ne illis cognitissimæ & castæ aures offendantur. Qui tamen de istis volet fieri certior, legat epistolam D. Balduini Iureconsulti contra Caluini expostulationes editam.

Qui focij carum] Iesuitas puta, à quibus & humaniores litteræ, & religio pēdet Catholica.

ARGVMENTVM IN QVINTAM  
ECLOGAM.

**D**icolos siue bimēbris est hæc Ecloga. Nam Tityri, & Melibœi diuersum carmen complectitur. Melibœus sua laudat pocula, & laudata Tityro offert, si velit pro ijs Tityrus carmē facere: Tityrus verò oblatum præmiū recusat, affirmans, se ex amoribus Corallidis sollicitum carminibus dicendis vacare non posse: postea tamen in laudem Corallidis carmen dicit.

Id bene dixisti] Vertimus, vt multa alia in hac Ecloga, ex Theocrito:

ἢ γὰρ ἔρωτι

Πολλάκις ὃ πολύφαιμα τὰ μὴ καλά κατὰ πέραν.]  
*frequentem amori*

**O Polypheme, solent, quæ non sunt pulchra, videri.**

Cæcus enim Plutus] Ex Theocriti Eidyllio decimo, cuius verba hæc sunt:

τυφλὸς δ' οὐκ αὐτὸς πλοῦτος.

ἐλλὰ καὶ ὁ φρόντις ἔρωτος, μηδ' ἐν μέγα μυθεῖ.

Et miror ab Erasmo prouerbiū hoc non animaduersum fuisse, dicimus enim: Plutus non solus cæcus est, quoties volumus significare, nos

Gaspar Artopœus etiam Olibianus dicitur.



non solos aliquo vitio laborare, sed plures esse, qui hoc, aut simili infecti sint: Theocriti enim est sententia, vnicuique suum esse vitium; & quod verisimum est, focium habere miseriam, communis consolatio est. Plutus diuitiarum deus cæcus fingitur, vt ait Aristophanes in Pluto, quæ comœdia à Pluto Deo, quem senex Comicus consulit, nomen sortita est.

Hunc Amor occidit] Hoc Epitaphium de verbo pene ad verbum ex Theocrito vertimus, cuius verba hæc sunt:

Τούτον έρωσ έκτενεν όδοιπόρε. μη παροδούσης.  
άλλα σάς τόδε λέξον άπηνέα έιχεν έταιρον.

ARGVMENTVM IN SEXTAM  
ECLOGAM.

**T**itulus huius Eclogæ (Index) pro argumento est. Nam querenti Lycidæ quæ sit eundum in Hollandiam, primò indicat viam Daphnis, & postea cum formidaret periculum ex vicina filua Lycidas, formidantem Daphnis Nerdam deducit. Inter eundum narrat casum suum, & casus sui causam: dein de vastatione Gallie memorat, & illius mali auctores Caluinum & Bezam pastorum more designat. Facta est hæc vastatio Gallie anno 1562. & 1563.

Nerda est ciuitas Batavie maritima, distans ab Amsterodamo tribus passuum millibus, olim prima in terra Goica (sic enim vocatur illa pars Batavie) à comitatu Hollandie diuersa: sed postquam Gerardus Velsius ducem Bauarie Gulielmum Comitem Hollandie interfecisset, suis priuilegijs amissis, comitatu Hollandie adiecta

Ex hac ciuitate pater Henrici Vuou, quem supra Silium appellauit, vir doctissimus M. Andreas Senator Amsterodamus oriundus est.

iecta est filua, cuius hic fit mentio, dicitur Goica (lingua Batavica Goijers bos) certis temporibus de latronibus suspecta.

Paruula Nerdenæ] Laudat hic Daphnis Lambertum Hortensium in historijs scribendis longè principem præstantissimum, præceptorem meum carissimum, qui verè decus posset dici Hollandie, à Geometria, & rerum usu.

Nam duo sunt illic] Caluinum & Bezam intellige. Est autem allusio ad distichon, quod superius citatum est in prima Ecloga.

ARGVMENTVM IN ECLOGAM  
SEPTIMAM.

**C**ontinet hæc Ecloga Epicedion Diui Guilielmi vtriusque Bauarie ducis illustrissimi, eiusdemque Comitum Palatini Principis clementissimi, & Catholice religionis defensoris æquissimi. Quòd autem carmen litteris capitalibus astrinxi, nõ ambitionis aut iactantie, aut superbie causa feci, sed vt currètem ingenij venam compefcerem, & tanquam loris contractis cohiberem, ne stylus leuior aut facilior esse videretur quàm nanijs tanti Principis describendis deberet tribui: ideoque semper quatuor versibus absolui sententiam.

ARGVMENTVM IN ECLOGAM  
OCTAVAM.

**C**ertant in hac Ecloga depositis hircis sub iudice TRANNA Thyrsis & Menalcas, qui, cum vterque præfaret, ambobus æquam tribuit laudè & præmiũ. Desumptus est locus ex Theocriti Eidyllio sexto, & Virgil. Eclog. tertia.

**N**ona Ecloga, quæ Ocrea dicitur, dicolos est: duobus enim membris constat. Prior pars siue membrum in genere Martini Lutheri acta & res præclare (si dijs placet) gestas meo more leuiter tactas complectitur. Pars posterior, quæ alterum membrum dicitur, temeritatem Michaelis Stifelij de interituro mundo vaticinati continet, & ab hac parte Ecloga suum nomen sortita est. Stifelius enim dicti Michaelis cognomen è Germanico desumptum pro Latino vsurpatur. Nam (*Stifel*) est vox Germanica, quæ Batavis, *een leers*, Latinis Ocrea dicitur, calceamèti genus cum ciuibus, tum maxime rusticis vel mercatoribus notissimum. Ab hac igitur voce Germanica *Stifel*, Stifelius dictus est. Vt verò res sit manifesta omnibus & dilucida, historia altius repetenda est. In Saxonia Vuittéberge vicinus pagus nomine *Holtzdorf* situs est, in quo pago Stifelius Euangelicus concionator populo docendo præfectus, sibi suisque rusticis persuasit, tertio Octobris die, horam circiter decimam, extremi iudicij diem futurum, idque ex supputatione quadratorum numerorum, tanquam ex diuina sancti spiritus patefactione serio confirmauit. Rustici & ciues plerique omnes per vniuersam Saxoniam & Misniam aruis & agris incultis relictis, negotijs ocio posthabitis, curæ præferentes concordia, omnia sua bona decoquebant: dies noctesque pergræcabantur, certò confidentes, quemadmodum prædixerat Stifelius, tertio Octobris die eiusdem anni, qui erat à Christo na

to

to 1533, mundum periturum, & extremi iudicij diem aduenturum. Cum autem prædictus dies adesset, Stifelius suggestum occupas, hortatur suos rusticos & bono iubet esse animo: tempus instare, quo, prout quisque vestitus aderat, cum ocreis simul & peronibus omnes in cælum auferrentur. At verò hora prædicti iudicij iã diu transacta, ad eò vt rusticis de vaticinio desperantibus ipse quoque dubitaret; fortè procellosa tempestas orta fuit, quam cum Stifelius audiuisset, de nouo rusticos suos est hortatus: turbinem enim ex orientem initium dare futuri iudicij. Sed paulò post tempestate sedata, cum rustici cælum serenum esse conspicerent, irati Stifeliu è sublimi cathedra deturbatum, manusque & pedibus acriter constrictis in curru positum Vuittébergam traxerunt, vbi ipsum coram iudice de illata iniuria grauiter accusarunt, aliquid sibi emolumentum, pro omnibus pecoribus, frugibus & frumentis absumptis sperantes. Sed frustra illum accusarunt rustici, nam à rusticis vindicatum, è vinculis redemptum Stifelium D. Lutherus veteri Ecclesiæ iterum præfecit: Ocrea enim (sub cuius nomine Stifelium ludo) & Lutherus ex eodem erant corio, nam vterque, votis & sacris relictis monasticis ex conuobio effugerat. Hæc breuiter de Ocrea.

Venit in hunc pagum] Loquor hic de quodam Antistite Catholico, eximio & doctissimo Theologo, de cuius fide & pietate mihi constat: is quodam tempore apud rusticum diuertens nocte cum suis in sceno libenter iacuit: nomen autem ipsius subticui, ne illi adhuc viuo & superstiti adulari viderer. huic verò exemplo inter omnes suos vates, quos maxime iactant Lu-

I 5

theriani

therani simile adducere exemplum nõ possint, nisi fortè multis equitibus & seruis comitatum Smidlinum probent.

Cùm malè mutatos in hoc carmine, vt in alijs primam syllabam (Lutheri) corripui, Eobanum Hessum, & Iacobum Mycillù, & alios plures imitatus.

Hanso & Faustus sunt duo pastorum nomina, quorum hic Catholicus, ille Lutheranus introducitur: ideo quòd in Saxonia plurimi Hansones solent esse, inter Catholicos autem Faustii, hoc est, beati perique omnes.

## ARGUMENTVM IN DECIMAM

## ECLOGAM, QUÆ RORA

## DICITVR.

QVæadmodù à Michaële Stifel nona Ecloga nomè habet, sic decima à Thoma Rorari, RORA dicitur. Thomas Rorarius cõcionator (vt illi vocant) Euangelicus in Palatinatu Renhartshouij ad Danubiù, dum anno 1564 in Comitatu Ortenburgensi cælum terræ miscet, sacra prophanat, & ad faciendam Antichristo viam, Lutheranismum ædificat: per legatos illustrissimi Principis ac Domini D. Alberti vtriusque Bavarix Ducis, &c. admonetur placidè, vt agat modestius, & subditos vel nõ admittat, vel clam irrepentes, à sua impia religione, à Sacramentis minimè sacris arceat & excludat, vel saltem vt ille se extra Bauriam contineat. Ille ad perendum magis animatus, iureiurâdo astringit Bavaros, ne qui ipsius sacra visitassent, vnquam

posthac

posthac sacra aut conciones Pontificias (quas illi per contemptum papisticas Missas appellant) accederent. Quo certè factum est, vt illustrissimo Principi minimè tolerandus videretur, tandemque cùm suæ malitiæ finem non faceret, vinculis traderetur. Sed tamen Illustriss. quæ eius est clementia, ipsum supplicantem, & fidem, qua potuit religione dantem & vltro iurantem non fore, vt vnquam in Bauriam vel pedem inferat, vel Bavaros, multo minus Botorum ducem dictis aut factis offendar, dimisit. Quid tandem pilico hominis fides (perfidia volui dicere) illuxit, eiusque gratitudo apparuit. Nam emisit nuper petulantissimus pestilentissimum libellum & mendacijs splendidissimis plenissimum DE ACTIS suis in Comitatu Ortenburgensi, in quo illustrissimus Dux, Princeps clemētissimus tanquam accusatur tyrānidis: Missa sacrosancta *ἰδὼ λαλᾶτρεῖα* appellatur: Sacerdotes nostri idoli cultores, & (vt eius verbis vtar) serui Missæ. Cùm igitur audirem & Deo & illustriss. Principi hæc iniuriā fieri, visus sum mihi, qui vtrique & subsum & pareo, vtriusque honorem pro mea virili parte debere defendere: duos itaque pastores, alterum FELICEM, qui se vel ipso nomine Catholicū profiteretur: alterum SILVESTREM ebrium & ex concione Rorarij contra Bavaros armatum introduxi. Re autem cognita, FELICI Siluester subscribit, & se Catholicis perpetuò & fideliter seruiturū promittit. Spero autem fore, vt pij animi hæcenus Lutheranis mendacijs & fraudibus circumuenti, & qui plurimi sunt, irreciti, cum Siluestre animū mutet, & ad Catholicos se cōuertāt. Ira faxit Deus, ignoscet autem

Thomas

Thomas Roraf, quòd in eius sceleribus perfringendis sim breuior. Nam (barbarus enim est & idiota cui cum Prisciano malè conuenit) nam, inquam vereor, si mihi respondendo impar, de Hannardi obscuro carmine apud hos vel illos conqueratur. Sed Roraf iste requiescat in pice.

ARGVMENTVM IN ECLOGAM  
VNDECIMAM.

**T** Itulus, Ciuis, pro argumento est. Est Ecloga qua significo me Bucolicis finem facere. Hic nihil occurrit quod aut defensore aut interprete indigeat, nisi vt admoncam secundũ à sine carmen non esse meum, sed Horatij in Satyra quarta Sermonum libri secundũ.

OLIM R. DOMINO MEO  
ET PATRONO D. DANIELI  
Mauchio, V. I. Doctori, Ecclesiæ Cathedralis Canonico & Scholastico apud Vuormatienses dedicatus: Cuius viri nomen & dictum primè litterè initials cõplectuntur.

**D** *Te Pater omnipotens, quis nã tentoria tecũ,  
Aut habitet montis tecta beata tui?  
Nempe suum placide qui duxerit integer auum,  
Impia quiq; animo non fouet vlla suo.  
Et qui perpetuo verum iustumq; professus  
Legerit in tacito nulla venena sinu.  
Vtpote peruersa vitans mendacia lingua  
Effugit ad socium damna ferenda suum.  
Libera qui nunquam verbis conuitia iecit,  
In propè vicinum dira precando virum.  
Scilicet iniustos qui detestatur & odit,  
Quiq; colit turbam, qua licet, vsque meam.  
Viribus obseruat pactum nervisq; tuetur  
Omnibus illa sam, quam dedit ante fidem.  
Dum metuit iurans, vt conscia lingua malorum  
Peieret & socio det mala damna suo.  
Opprimere insontem qui non conatur & odit  
Tradere cum lucro munera danda suo.  
Et poterit talis nulla de parte moueri,  
Stat siquidem tuto, qui facit ista, loco.*

Idem

## IDEM PSALMVS CARMINE

ELEGIACO REDDITVS, CUIVS  
 litteræ initiales nomen & dictum Reue-  
 rendi & clarissimi viri D. Caroli à Vuilt-  
 perg Cathedralis Ecclesiæ Vuormatiën-  
 sis Canonici, & ad sanctam Gertrudē Au-  
 gustæ Præpositi, complectuntur.

**C**AELicollum genitor tua quis tentoria tecum,  
 Aut sacri poterit montis habere domos?  
 Re sibi qui nulla maculam contraxit, & cui  
 Optimus exegit secula iusta sui.  
 Liber & intrepidus populo qui vera fatetur,  
 Et nullum in tacito pectore crimen habet.  
 Cuius lingua fuit nunquam molita scelestum  
 Omnibus in rebus vera locuta suis.  
 Nullaq; vicinis qui seuæ prælia lingua  
 Fecerit, aut socijs facta maligna suis.  
 Is quoque qui scarras oculis non aspicit æquis,  
 Dum foueat iustos optimus ipse viros.  
 Et qui perpetuo Domini veneratur amantes,  
 Et sacra placidum simplicitate chorum.  
 Testatus Dominum qui non iurata fefellit,  
 At reddit socijs integra pæcta suis.  
 Munus in insontem fugiens qui scœnora nunquam  
 Accipit. In tuto qui facit ista, loco est.

PSAL-

## PSALMVS PRIMVS.

**P**Lus satis est felix, qui noluit acta malorum  
 Impia consilijs vlla fouere suis.  
 Qui comes eximuit scelerum cultoribus esse  
 Fustorum placidam doctus amare viam.  
 Quem neque scurrarum residens in sede malorum  
 Viderit in socijs impia turba suis.  
 Cuius mens Domini legem sincera volutat,  
 Ac animo versat nocte dieq; suo.  
 Talis erit plantæ primùm crescentis imago,  
 Quam placidè viui fluminis vnda rigat.  
 Quæ neque frugifero Dominum fraudauerit vsti,  
 Tempore sed fructus proferet illa suos.  
 Integra quæ folijs saluum retinebit honorem,  
 E quibus & vento nulla mouente cadent.  
 Namque pio rerum, quas suscipit, atque laborum  
 Successus facilis, prospera finis erit.  
 At non euenient eadem quos crimina vitæ,  
 Et quos improbitas & malefacta iuuant:  
 Qui tantum palca similes dicuntur inani,  
 Undique quam rapidus ventus & aura ferit.  
 Iudicio siquidem deerit pia turba malorum,  
 In cœtuq; malis non licet esse pio.  
 Curat enim Dominus voces & vota bonorum,  
 Iustorum pariter nouit & ille viam.  
 Quam quia perpetuos iustis seruabit in annos,  
 Certa malis verè nulla superstes erit.

Confide

Confide & ama.

*Cura sit ingenua Dominum tibi mente fateri,  
Ac pia sincera voluere dicta fide.  
Redde tuis verum socio pietatis amorem,  
Omnia fac socio, qua cupis ipse, tuo:  
Lugenti lacrymas gemitumq; gementibus aufer,  
Et miseris dignas adfer amicus opes.*

DE MERITO CHRISTI,  
AN ILLVD PAPI-  
STÆ HACTENVVS PO-  
PVLO DOCENDO PRÆDICA-  
VERINT, ET PRÆDICATVM  
SVIS CONCIONIBVS, CÆ-  
REMONIIS, ET SACRIS  
ADHIBVERINT.

Auctore

HANNARDO GAMERIO MO-  
SAEO, IN INCLYTA ACADEMIA IN-  
GOLSTADIENSI GRÆCARVM  
LITTERARVM PROFES-  
SORE ORDINA-  
RIO.

## EXIMIO ET DO-

CTISSIMO VIRO D. HEN-  
RICO SILVIO PATRICIO AM-  
*ferodamo, Domino, Patrono, & amico suo pra-*  
*ceteris vnicè colendo.*

ET si ex tuis litteris, quæ mihi doctif-  
simorum clarissimorumq; virorum, aui  
patrisq; tui mortem nuntiarunt, magnum  
dolorem accipiebam: tamen, mi Silui, non  
possum non confiteri, maximo me per ead-  
dem gaudio cumulatum fuisse; postquam  
tibi res meas aded curæ esse intelligerem,  
veterisq; illius nostræ ex sola virtute &  
honestate natæ consuetudinis auctoritatem  
non modò non imminutâ, verùm integram  
indies magis magisq; & augeri & crescere.  
Dij boni quanta perfundebar lætitia, cum te  
saluum & incolumem non ex aliquo incerti  
rumoris nuntio, sed ex epistola propria, lon-  
geq; mihi optatissima, manu certior fie-  
rem! Quantò magis lætatus fuerim, facile  
colligis, cum ipsa eadem, te mihi intimum  
scripta profiteretur amicum & fratrem, qui  
tuum Gomerium vel in grauissimis causis  
nunquam deserere, meamq; de te opinio-  
nem (& agnoscis verba tua) fidem nusquam  
velis fallere. Certè, mi Silui, ijs tuis scriptis  
& pro-

& promissionibus ita incensus fui, vt neque  
Pylades in Orestis, neque Theseus in Pyri-  
thoi, neque Nifus in Euryali amore stitit ar-  
dentior: & verò quid virtute formosius?  
quid honestate pulchrius? quid constantia  
in amore laudabilius? nihil profectò: quare  
certatim nos inter nos amare vtriusque pu-  
temus, esse officij & muneris. Semper ego te  
amaui propter summum in te ingenium,  
mores suauissimos, singularem probitatem  
atque constantiam; tamen, interim dum à te  
absum, tantum accessit ad illum amorem, vt  
ipse supra modum mirer locum fuisse au-  
gendi in eo, qui antea fuerat maximus: vno  
verbo dicam quid sentiam, nunc denique  
amare te videor, antea saltem dilexisse.

Quare idem vicissim à te & spero & expe-  
cto. At, mi Silui, non hæc ideo dico vt ces-  
santem aut dormientem, sed vigilantem,  
currentemq; mea incitet oratio. Non enim  
dubito quin perpetuò facturus sis quæ feci-  
sti hætenus, vt videlicet omnes ciues pariter  
& rustici, domestici & peregrini, noti &  
ignoti tuam integritatem, æquitatem, tem-  
perantiam, affabilitatem, humanitatem,  
seueritatemq; comitate conditam admi-  
rentur & probent: ego profectò nunquam  
tuus esse desinam, sed, veluti boni Poëtæ  
in extrema parte & conclusione sui mune-  
ris & negotij, id est, rei propositæ solent

esse diligentissimi: sic me semper cum ætate constantiorem factum esse demonstrabo. Sed quid ego cohortor? quin potius gratulor suis numeris perfecto & absoluto Siluio? Nam testantur omnes ciues Amsterodami adhortationem in te non tam necessariam, quàm gratulatione vtendum esse, quòd talem iuuenem illa ciuitas nacta sit, qualis olim possit esse Reipublicæ & ciuibus ornamento. Nunc orationem mutarem, & quasi mediam abrumperem, nisi vnum restaret, quod te ad extremum & hortor & oro, vt, cum ijs parentibus natus sis, qui pietatem & religionem auitam diligentissimè semper obseruarunt, ab ea abduci aut etiam abstrahi minimè patiaris, vtque noui & recentis Euangelij scriptores nuper natos deuities, & vt præsentissimum malum execrèris; qui Euangelij nomen & Christum ore suo circumferentes, *ψευδοευαγγέλιον* docent, & Antichristum in cordibus suis còclusum gerunt, & fel sub melle occultum vendunt.

Populi gratiam & Principum fauorem captant, magnates & proceres suis blanditijs fascinant, & sub Euangelij & veritatis nomine sua somnia & mendacia proferunt, leges latas abrogant, nouas easdemque impias condunt, conditas vt pias ferunt, populo pro sacris & diuinis colendas offerunt, diuersi diuersa persuadent, vnde à se ipsi dissen-

dissentiunt, in vno tamen conueniunt, vt Pontificem Romanum sublatum velint, de hoc varia & nefaria comminiscuntur & excogitant, hunc malè docere clamitant, contra hunc Principes & populos concitant, qui conspirantes eius sacra conentur subuertere: De quibus videtur Regius vates cecinisse in secundo Psalmo: Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnū aduersus Dominum & aduersus Christum eius, &c. Dum enim contra Catholicā conspirant Ecclesiam, contra Christum Iesum dominum & redemptorem nostrum coniurare videntur non minùs, ac olim Principes & seniores populi (vt in actis Apostolicis hic locus exponitur) contra Iesum occidendum inierunt concilium. Quid enim non affirmant? quid non negant? vt Ecclesiæ Romanæ, id est, Catholicæ auctoritatem minuât, aut, quod magis velint, tollant? Quot & quantis persuaserunt Principibus, Pontificios suis niti operibus; Christi verò merito nil tribuere? còtra hoc impudens mendacium nuper D. Martinus Eisengreinius, aliquoties tibi per meas litteras commendatus, vt doctissimam, ita verissimam orationem habuit, probauitque à Christo passio Pontifices omnes, illorumque successores & Ecclesiæ ministros, vsque ad hæc nostra secula soli merito Christi suam salutem



& redemptionem tribuisse. Postea de eadem materia concionem germanicè conscriptam edidit, vbi luculenter monstrat & docet apertissimè de nobis redemptis soli merito Christi ex patrum sententia habendam esse gratiam. Ex huius igitur viri oratione audita & concione edita, data fuit mihi occasio, qua idem argumentum potuerim carmine tractare, hoc modo ratus plures, qui à Catholica abducti sunt, posse reduci, plurimos vacillantes in fide firmiter posse confirmari. Scopus enim ad quem tendo talis est; vt velim non meis, sed patrum verbis citatis probare semper à Christo passò vsque ad hæc nostra tempora meritum Christi prædicatum fuisse, & nos nihil æquè magni facere atque meritum Christi, quo solo nos seruatos esse confitemur. Hoc igitur carmen rude fortassis & inculturn tibi, mi Silui, vt summo amico & patrono dedico, rogoque vt pauperem nostram venam boni consulas, & placido vultu excipias: quod si facias, vt te facturum non diffido, animum tuo Gamerio ad maiora suscipienda addes fortissimum. Plura scriberem sed plura scribèdi non est otium. Tuam itaque valetudinem cura diligenter ante omnia, deinde Corneliam dulcissimam coniugem cum filio suauissimum saluta officiosissimè; deinde matrem, sororculas,

affines

affines & amicos tam meos quam tuos omnes. Bene vale. Ingolstadij octauo Decembris die. Anno M. D. LXXV.

Tuæ excellentiæ deditissimus,

*Hannardus Gamerius Mosæus.*

### ΕΠΙΤΑΦΙΟΣ

Τοῦ Γεράρδου πανθεροῦ, καὶ τοῦ Ανδρέου γαμεροῦ ἀνδρῶν Ζαμαριτῶν, διὰ Αννάρδου τοῦ Γαμερίου Μοσαίου.

Ἀνδράπους δόσιος αὐτῇ δύο γαῖα σκεπάζει  
 Ἀνδρείαν γαμερόν, καὶ πανθερόν ἔνθα Γεράρδον,  
 Ἀλλὰ θεοῖς ψυχὰς αὐτῶν προσέθηκεν ὁ Χριστός.  
 Εἰδὼν ἐπεύχομεν ὁ μακάρεσσιν ὁδοιπόρε, λέξον  
 Ἦ κεφαλὰς ταύτας κρυφὴ καὶ δῖα καλύψῃ.

P A V L V S V V E L S E R V S

P A T R I C I V S A V G V S T A N V S

sic vertit.

*Sanctorum tegit hæc hominum duo corpora tellus  
 Andrea generi pariter soceriq; Gerardi,  
 Quorū animas sursum traduxit ad æthera Christus.  
 Ergo agè defunctis dic manibus ista viator:  
 Conditæ terra leuis conseruet molliter ossa.*

SATYRA DE MERITO CHRISTI,  
AD DOCTISSIMVM VI-  
RVM HENRICVM SILVIVM, PA-  
TRICIVM AMSTERODAMVM.

O QVIS erit Silui (totum circumspice mundū)  
Tam vitij patiens, tam vulgi fautor ineptè,  
Ut mala conspiciens humana crimina gentis  
Non clamet subito: dolor heu? proh Iupiter: ô dij?  
Si taceam cades, periuria, furta, rapinas,  
Cumq; latrocinij scurrarum facta nefandis:  
Hereticis certè, quorum temeraria mens est  
Continud bellum superis inferre parata,  
Tot scelerum causis ego non ignoscere possum,  
Ut sileam motos omni de parte tumultus,  
Aduersasq; Deo conceptas fortiter iras:  
Aspice quid faciant, & quas dent vndiq; turbas,  
Impia spargendo mendacibus omina linguis,  
Dum meritum Christi nos ignorare loquuntur.  
Et tamen hos tanquam dominos pietatis amantes,  
Pro Christi famulis mirè Germania laudat,  
Ipforumq; simul voces miratur & acta.  
O varijs decepta modis sub imagine veri:  
O malè defraudans veri pia numina Christi,  
Cur fugis infelix totum Germania calum?  
Cur, miserabilibus fortuna pressa ruinis,  
Falsorum sequeris mendacia publica vatū?  
Cur stultè recipis peregrina crimina sectæ?  
Cur stultè veterum damnas data iura parentum?

O mala

O mala gens olim domino fidissima Christo,  
Quis Genius? quis te dementem fascinat error?  
Quæ Furia? quæ te comitantem ducit Erynnis?  
Ut merito Christi nos nil tribuisse putares?  
Heu quantum Christo mutata recedis ab ipso,  
Quem solum dominum studiosè fida colebas,  
Quæ malè nunc refugis, quæ turpiter acta relinquis,  
Cuius sacra tuis derides obuia fastis.  
Olim facta pijs onerans altaria donis,  
Formandis monachis collegia multa parabas:  
Olim sana locans superum profrentia nomen  
Cultores operis sancti sincera sonabas:  
Olim spes Latio longè certissima Regno,  
Fida ministra Dei venerandum numen amabas:  
At modò vel perdū, vel perdere templa laboras,  
Quippe sacerdotes proprijs à sedibus arcens  
Affligis monachos, priuas altaria donis,  
Dilaceras omni collegia condita iure,  
Pontificisq; sacrum turpi caput ore lacestis,  
Acclamas meritis illum diffidere Christi:  
Qui tamen has audes in vulgum spargere voces,  
Ac Evangelico veras sermone fateri:  
Sive tibi socio Caluinius ordo placebit,  
Sive Lutherana sequeris periuria secta:  
Sive Ratisbona Gallum veneraris in vrbe:  
Dic age, dic verè (per secta posco magistros)  
Si Christi meritis tantas audiueris vsquam  
Vel laudes tribui, vel tot praconia dici:  
Quot tribuit sanctè Romanus vbique Sacerdos,  
Seu peragat sancta mysteria debita Misse:

K 4

Seu

*Seu doceat fidam scriptis vel voce popellum.  
Sat scio, vidisti sectator perfide nusquam,  
Nec puto quodd tales valeas effingere cultus.*

*Non mihi si cupias contraria dicere posses.  
Nam longœua meas agit experientia caussas,  
Cùm nitare tuis vendens mendacia nugis.*

*En quibus hereticos restringuam fontibus ignes  
Flumina magna mihi sese plenissima sistunt:  
Argumenta mihi res vltro tanta ministrat,  
Vt quibus instituam dictis exordia mecum  
Perplexus dubitem, sed quo cadet ordine sermo,  
Non queo materiam dignis extendere verbis,  
Nec potero solus tanto satis esse labori.*

*Vsq̄ue aded proprijs diffido viribus ipse.  
Qua tamen, ô homines, audetis fronte, nefandis  
In Christi meritis Papam non esse fateri?  
Tantane vos oculis captos dementia cepit,  
Vt Seruatorem Christum, dominumq̄ salutis,  
Atque redemptorem nos obseruare negetis?  
Vt Christi meritum digna cum laude referri,  
Et (velut est) vero pro numine semper haberi  
Non animaduertant vestra data lumina menti?  
Sed concedo libens vos nusquam cernere Christi  
In nobis meritum: nullum pietatis amorem  
Vestris iudicijs in pectora nostra venire:  
Nam veluti tenebras in opaco noctua captans  
Non videt obiecti clarissima lumina Solis:  
Sic meritum Christi nobis non esse videris.  
Non tamen hoc vitium Sol aspicientibus affert,  
Nec lumen cohibet, quoniam cupit ipse videri,*

Sed

*Sed sua culpa subest oculis ad lumen ineptis.  
Hæc quoque religio (quoniam clarissima fulget)  
Auerfos oculos non impedit optima vestros,  
Sed scelus & scelerum, qui vobis imperat, auctor,  
A merito Christi vos arcet vbique videndo.  
Nam malè dispositis oculis nisi culpa subesset,  
Quomodo vel fieri, vel credi posset, vt ipsum  
Nos Christi meritum non conspiceretis habere,  
Custodire, loqui, semperq̄ & vbique fateri?  
Si tamen hæc ita sunt, vt clara lucis egentes,  
Aut oculis capti, quod nos sub mente fouemus,  
Non bene possitis meritum cognoscere Christi:  
Ex alijs verè scrutati discite verum,  
Adductumq̄ tribus puerum conducite nummis,  
Qui sub Pontificis nostri ditione libellos  
Sedulus euoluens vero legat omnia sensu  
De merito Christi per secula cuncta probando.  
Aut si fortè libet precio fraudare legentem,  
Ad me ferte pedes: vobis seruire parata  
Est mihi mens & vis, quæ sit satis vna labori.*

*Quin ea Pontifici quæ subsunt pectora nostro,  
Orbis item partes, locus omnis, & angulus omnis,  
Omnia postremò pictis data signa figuris  
Testantur, perhibent, proclamant atque fatentur:  
Quod sincera fides Christo dependeat vno,  
Quod Christus sit sola salus & sola salutis  
Anchora, quæ ventis tempestatiq̄ resistat:  
Quod Christus proprij precio nos sanguinis emit,  
Emptis pollicitus celestis premia regni,  
Quod confidentes nos expectamus ab illo.*

Vt verò

Ut verò pateant falsa mendacia lingua,  
 Qualibus hereticos imbutos esse videmus:  
 Vt pariter constet, quibus est Respublica Christi  
 Turpiter acta modis, quæ tot tulit vna labores  
 Immeritò culpata graues: vt criminis expers,  
 Ceu rea, de vitio passim suspecta feratur:  
 Vt mala mens horum sit cunctis nota virorum:  
 Incipiens testes; non quos Ecclesia primos  
 Gaudet habere patres, sed quos contraria nobis  
 Pars negat esse pios tanquam non vera docentes.  
 Incipiens, inquam, quos dicimus esse scholares  
 Ordine iudicij testes ad iura vocare,  
 Demonstrabo pijs per singula nomina signis,  
 Quòd Christi meritum clarè sonuisse, probasse,  
 Inq; scholis ipsum semper docuisse legantur.

Tuq; adeò Princeps, qui summo iure magister  
 Optima cum faceres claris compendia dictis,  
 O Lombarde sacri studij doctissime summam,  
 Et decreta patrum mira complexus es arte:  
 Dic quid de merito Christi sensisse vidèris.  
 Tunc, velut nobis pars aduersaria dicit,  
 In Christi merito nil te posuisse fateris:

Obstupet, ac horum miratus facta virorum,  
 Stultitiamq; simul libertatemq; loquendi  
 Deuouet, & nullo qua prædita corda pudore  
 Audent pro veris obtundere perfida dictis.  
 Nam Christi meritum cupiens efferre sub astra,  
 Et Christi merito nos saluos esse locutus,  
 Taliter in libris passim data scripta reliquit,  
 Qualiter ad verbum de verbo tradita dicam.

Chri-

Christus (ait) nobis Paradysi claustra resoluit,  
 Ac tutos aditus ad celi regna parauit,  
 Quandoquidem gustans inimica flumina letes,  
 In cruce pro nobis mortem suspensus obiuit.

lib. 3. distinc.  
18.

A scelerum vitijs, pœnis, & ab hoste Satana  
 Ipse sua Christus vindex nos morte redemit,  
 Et veluti regni natos in parte locauit  
 Solus habens nostram purissimam victimam culpam.

Quaratione tamen calorum claustra resoluens,  
 A scelerum vitijs & ab Orci fraude redempto  
 Per mortem populo letum patefecit Olympum:

Ob scelus & primi peccata parentis Adami  
 Firma mente Deus secum decreuerat ipse,  
 Quòd nullis Dominus placidum recluderet hortum,  
 Quòd nullis itidem sese daret ipse videndum:  
 Donec homo natus tantum virtutis haberet  
 Mitis, & à primo totus diuersus Adamo:  
 Quantum sufficeret reliquis è carne creatis.

Qui tamen hoc faceret non est inuentus in illis,  
 Nè leo Iudæa natus de gente fuisset,  
 Qui solus libri signacula soluit aperti,  
 Tanta iustitia, tanta bonitatis abundans,  
 Vt meritò & verè deberet humillima dici  
 Illius virtus animis aduersa superbis,  
 Cum maior fuerit, quam qua par esse vocetur.

Quotquot erant alij maculatas crimine mentes,  
 Et sua peccatis obnoxia corda gerebant,  
 Ipsorumq; animos tam virtus parua regebat,  
 Vt non sufficeret proprijs pro crimine pœnis.

Ergo nullus erat, qui nos à morte redemptos

Concilia-

Conciliare Deo patri velut hostia posset.  
 Solus enim Christus summo fuit hostia patri,  
 Qui cum sufficiens & solus humillimus esset,  
 Experiens mortem cunctos à morte redemit  
 Principio nata per primi crimen Adami,  
 Cum vetito fructu delectaretur edendo.  
 Si potuit tantos adferre superbia casus  
 Vnius primiq; hominis, quæ perdidit omnes,  
 Dum sibi donato sese proiecit ab horto  
 Omnia post ipsum venientibus ostia claudens:  
 Rectius & melius Christi sanctissima virtus,  
 Cheirographum delens, complens decreta parentis;  
 Vt tutos aditus ad celi regna pararet:  
 Pertulit horribilem pro nostro crimine mortem:  
 Quippe fuit tantum sub nostro pectore crimen,  
 Vt, nisi pro nostris peccatis Christus obisset,  
 Nemo queat sanctiè nostrum seruandus haberi,  
 Sed testamento faciens & fœdere dignos  
 Sic nos participes in regni parte locauit.  
 Non tamen has illo voces intellige sensu,  
 Ac miseros homines alia ratione beandos  
 Non nisi morte sua potuisset ab hoste tueri:  
 Sed quod in afflictio non viueret hostia mundo,  
 Qua vel parta salus, vel celi regna paterent,  
 Exceptio Christo, qui patri filius vnus  
 Morte salus propria potuit mortalibus esse.  
 illi tanta fuit (sicut nos diximus antiè)  
 Quæ dicta est animis virtus aduersa superbis:  
 Tanta sub illius patientia pectore sedit;  
 Vt meritis eius calororum regna paterent,

Quiq;

Quiq; paratus adest solis credentibus æther.  
 Ergo per vnigenam mortem sunt præstita nobis  
 Magna, quibus liceat sub patria tecta redire:  
 Non secus ac olim, cum summus præsul obisset,  
 Exulibus licuit pulsus ob crimen ab vrbe  
 Ad proprios agros & propria tecta reuerti.

Hactenus hæc nostri sunt verba probata magistris,  
 Qui post in libro quadam subiungit eodem,  
 Gregorij verbis Augustiniq; citatis:

Hactenus  
 sunt verba  
 Magistri sen-  
 tentiarum.  
 Lib. 3. dist. 25

Vnde docet rerum nullis ambagibus vtens,  
 Quod vel in antiquo, vel fœdere nemo recenti  
 Seruatus fuerit: nisi verè crederet idem,  
 Se Christi meritis intercedentibus aptum.

Sed quid de tali sentis Henrice magistro?  
 An meritum Christi non agnouisse videtur?  
 Aut ipsum populo non exhibuisse docendo?  
 Dij melius quam quod de tali crimine, plenum  
 Speq; fideq; virum tentes culpare vel ausis.  
 At puto non facies, nec enim tibi scribimus ista  
 Qui bona Pontificum defendere facta solebas:  
 Sed quibus hæc contra patres est cura tueri,  
 Per fas perq; nefas spreta pietate locutis  
 Huic meritum Christi non illuxisse magistro.  
 Quis tamen hanc partem sapiens defendere posset?  
 Quis roget aut secum dubio sub pectore quarat?  
 An merito Christi quidquam tribuisse legatur?  
 Quis roget hæc? (inquã) quia littera testis habetur,  
 Auctorisq; animun testata volumina prostant:  
 Quem plures alij studium caeleste colentes  
 Cum magno numero per secula multa secuti,

Tempori-

Temporibus varijs multa ratione probarunt  
Solius merito Christi nos esse beatos.

Hic ne forte putent exemplis dicta carere,  
Pace tua, Silui, patribus de more citatis,  
Hereticos omnes simul obmutescere cogam.

Tuq; d' sancte pater sis primus in ordine Thoma,  
Qui patrius vera de gente vocaris Aquinas,  
Et dic, quid merito Christi tua scripta dederunt,  
Cum libros faceres ante annos penè trecentos.

Is soli merito Christi sua vota ferebat,  
A propria nullam sperans virtute salutem:  
Scribit enim planis hac dicta sequentia verbis:

Ille satis proprie facti pro crimine fecit,  
Qui dat id offenso quod par vel maius habetur,  
Quam quod in admissa sit detestabile culpa:  
At Christus patiens virtutis amore libenter,  
Plus aliquid patri facto pro crimine soluit,  
Quam simul humani generis peccata fuissent.

Nam fuit immensum pietatis pondus in illo,  
Maiestasq; sua fuit augustissima vitæ,  
Quam natura hominis nec non diuina fouebat,  
Plus quam sufficiens pro cunctis vnica pœnis.  
Adde quod immensa molis tormenta fuerunt,  
Assumptoq; simul grauior crux ipsa dolore.  
Hinc est quod Christus pro nostro crimine passus  
Nō modò, quod satis est, sed quod plus esse vocatur,  
Præstitit humanam redimens à crimine gentem.  
Id quod Ioannes verbis testatur apertis,  
Blanda vbi filiolos ita littera prima salutat:  
Christus sufficiens pro nostra victima culpa,

Nec

Nec tantum nostrū peccatum Christus ademit,  
Sed totum vitij mundum purgauit iniquis.

Dic' age, mi Silui, si turba scholastica Christum  
Et Christi meritum non implorasse videtur,  
Aut ipsum populus non instillasse docendis?  
Sed pergamus adhuc monumenta relicta citare,  
Cuius erant Thomæ, quæ præcelsere beati:  
Scilicet vt falso verus præluceat ordo,  
Viq; palam cunctis mendacia subdola fiant,  
Quæ, ceu vera forent, populo pars impia vendit.  
Sic etenim dicens hæc verba sequentia scribit.

Mortales homines sua duplice corpora pacto,  
Cordaq; peccatis seruire coacta gerebant,  
Seu vel seruitium videas, cui crimina subsunt,  
Peccator siquidem sceleri subiectus habetur:  
Seu videas ipsam, quæ factum pœna sequatur,  
Quæ malè deuinctos iustus Deus ipse videbat.  
Quapropter Dominus Christus satis ipse superq;  
Victima sufficiens pro nostro crimine soluit:  
Namq; velut precium nobis tormenta fuerunt  
Quo sumus à duplici mortales iure redempti.

Post itidem verbis subiungit plura disertis,  
E quibus excerpens velut optima quæq; reponam  
Pauca fidem dubiæ certam facientia menti.

Nos sumus à vitij Christo patiente redempti,  
Non modò natura toti communibus, inquit,  
Seu sceleris pœnam, seu facti crimina tangant,  
Ipso pro nobis precium soluente redemptis,  
Sed cunctos etiam peccati mole lenauit.  
Hinc per eos, quos est cruciatus passus Iesus,

L

Mox

q. 48. art. 4

q. 49. art. 5

Hic incipiunt  
verba S. Tho.  
p. 3. q. 48.  
art. 12.

3. Ioan. 2.

Mox ad aperta sunt caelestis ianua regni.

Si memorare velim quae plurima talia Thomas

De merito Christi per multa volumina scripsit:

Dicentem citius multò lux ista relinquet,

Quam perfecta suum videant mea carmina finem.

Auctores igitur, quorum sunt gaudia lites,

Qui noua mentiti sibi dogmata, vera recusant:

Cur Christi meritum nos ignorare loquuntur?

Cur hos infimulant de falso crimine patres,

Qui cum de merito Christi scripsere probanda

Laudibus aeternum tollunt super aethera nomen?

Seruatòq; piè vero per singula sensu,

Instituunt populum tanto pietatis amore,

Quanto non alius quisquam docuisse legatur.

Nam quod ea de re Thomam sensisse videmus,

Hoc omnes reliqui scriptis testantur abundè,

Inq; scholis templisq; suis & ubique locorum

Scribunt atque docent, scripserunt atque probarunt,

A merito Christi veram pendere salutem,

Ac, nisi spem moriens quisquam desigat in ipso,

Quòd nulla poterit ratione beandus haberi.

Hinc omnes isti venerando nomine patres

Si quis in extrema mortis versabitur hora;

Precipiunt, mandant & apertis vocibus vsi

Monstrant in Domino sperare & fidere Christo.

Hinc bonus & viuens inter pia nomina Gerson,

Vt desperaret suadere volentibus inquit

Hostibus in similem deducta vocabula formam:

Ergo quod vitijs obnoxia vita geratur,

Non opus est vt me donis caelestibus esse

Indignum

Indignum referant vestra conuicia lingua.

Hoc etenim fateor, sed non ignoro vicissim,

Quod meus ille pater, qui nomine gaudet Iesu,

Et pius & iustus pro me mea debita soluit.

Qui, quoties eadem mihi displicuisse videbit,

Omnia sponte sua clemens peccata remittet:

Quippe cruore suo regnum caeleste lucratus

Fecit vt hoc solo titulo mihi debita verè

Calica venturi promittam pramia regni.

Non secus Anselmus populum docuisse videtur,

Qui Cantubrigia supremus praesul in vrbe,

Cuius articulos aliquot conscripsit, vt inde

Cum phlegethontea domino congressa lacuna

Sese praeceptis mens agra salubribus armer.

Vt verò articulos, qui praecessere relinquam,

Inter eos tales habet vltima questio voces.

Non nisi per Christi mortem te posse beari,

A Christoq; tuam credis pendere salutem?

Tunc ait infirmus constanti pectore: credo.

Mox respondenti sic rursus dicitur agro:

Ergo agè dum supera vitalis pascaris aura,

Huic soli confide neci, neque flectere rebus,

In quibus ipse tui spem velles ponere voti.

Hac in morte tuas res atque negotia conde,

Hac in morte tuam seruandam contege mentem,

Denique te totum commenda, intertere, fige,

Ac depone tuam sub Christi morte salutem.

Sig; Deus iudex in te velit esse seuerus:

Dic te iudicium per mortem vincere Christi,

Ac te nil aliud contendere velle locutus,

Hic incipiunt  
verba Anselmi  
Episcopi  
Cantuariensis.

Hactenus  
sunt verba S.  
Thomae.

Hic incipiunt  
verba Gers.

Dic tua per Christi mortem peccata remitti.  
 Si fortasse reum sceleris te dixerit esse,  
 Si quod tartareo sis dignus carcere dicat:  
 Dico quod Domini mortem pratendus Iesu,  
 Ob cuius meritum credas tua crimina tolli.  
 Inde, quod iratus sit, si tibi dicere pergat,

Dico quod Christi mors illam deleat iram.

Hactenus hac nobis Anselmus Episcopus edit,  
 Quis verò hos meritum Christi nescire loquetur?  
 Ecquid adhuc Christum, qui sola voce fatentur,  
 Hos meritum Christi patres sonuisse recusent?  
 An Papa meritum Christi non esse putabunt?  
 An nos in merito Christi sperare negabunt?  
 Non puto quod post hac adèd temeraria nobis,  
 Atque eadem populo manifestè falsa loquentur.

Nam quicumq; fuit doctor vel in ade sacerdos,  
 Et quosunque sibi monachos Ecclesia vidit,  
 Vel quicumq; patres, hoc nostro tempore viuunt,  
 Scribunt atq; docent, omnes vno ore fatentur  
 A merito Christi nostram pendere salutem.

Ergo Palestino fuerit de sanguine cretus,  
 Impius & verè diuini numinis osor,  
 Qui merito Christi nos non confidere dicet.  
 Nam merito Christi si nos dissidere dicunt;  
 Non modò se patres nunquam legisse fatentur:  
 Sed potius sacras nunquam venisse sub ades.

In templis siquidem simulacrum pendet, Iesu.  
 Quod monet in solo nos spem deponere Christo.  
 In medijs templis erecta videtur Iesu

Crux & imago Dei, quam tu Caluine trucidas,  
 Quam

Hic finiunt  
 verba Ansel-  
 mi.

Cur in tem-  
 plo imago  
 Christi pen-  
 deat.

Quam nos per lacrymas oculo presente videntes  
 In mentem Domini mortem reuocamus amaram,  
 Quae nos perpetua cunctos à morte redemit.

Sunt triujs etiam, sunt & sua signa plateis,  
 In quibus effigies depicta videtur Iesu,  
 Vnde queant homines vltro citroq; profecti  
 Discere pro nobis Christum tot vulnera passum.

Nec tantum sanis, vel ijs, qui repleta frequentant,  
 Ex cruce pendentis Christi simulacra videntur:  
 Sed, qui supremo ducunt suspiria motu,  
 Vltima transacta patientes tadia vite,  
 Aspiciunt etiam Christi per signa figuram;  
 Quam simulac cernunt alicuius voce momentur,  
 Vt Christi merito se credant esse beatos.  
 Accidit hoc ipsum, dum quis de crimine victus  
 Ad loca supplicij sumendis ducitur apta:

Namq; reum sacro firmat sermone sacerdos,  
 Effigiemq; simul Christi dat vbique videndam,  
 Vt reus aspiciens corpus sub imagine Christi  
 Speret, & in Christo moriens se viuere credat.

Adde quod & meritù suffragia publica Christi  
 Supplicibus votis signisq; patentibus edant.  
 Nam duo quae praeunt populum, vexilla feruntur,  
 In quibus vt passus Christus depictus habetur;  
 Nò aliam ob causam, quam quod cõsidimus omnes,  
 Quid caput & nostrae sit Christus origo salutis:  
 Vt pote qui nostri peccati mole grauatus,  
 Integer & sceleris purus sine crimine viuens  
 Humani generis nos captus amore redemit.  
 Vnde quod illa vel hac populi suffragia poscunt,

Cur ægrotis  
 ostendatur  
 imago Christi  
 crucifixi.

Cur supplicij  
 & mortis reis  
 imago Christi  
 crucifixi ex-  
 hibetur.

Cur vexilla  
 in supplica-  
 tionibus præ-  
 ferantur.



Indignis famulis confidimus esse daturum.

Quid multis opus est? populi suffragia nostri,  
Templa, domus, platea, labor, atq; pericula rerum  
Soliis meritum Christi sine sine fatentur.

Quapropter varijs festum natale triumphis,  
Et lati aduentum nati celebramus Iesu:

Scilicet ut gratos animos videamur habere,  
Quod nos seruitij pressos à mole leuauit,  
Et quoniam moriens, non nascens extitit auctor,  
Et caput & nostra certissima caussa salutis:  
Cum venit ille dies, quo mortem Christus obiuit,

Non modò nos omnes lugubria verba sonamus:  
Verùm etiam diuinum picta per templa figura  
Innocuum Christum pro nostro crimine passum  
Oppositis velis tanquam deslere videntur.

Rursus ab aduersa canitur victoria parte,  
Et ducit letos pars omnis vbique triumphos  
Omnia leta ciens, postquam lux alma resulsit:  
Qua Deus existens inferni victor & orci  
Depositam triduo vitam pro morte resumpsit.  
Quaratione tamen magis hac nos luce triumphum  
Quam quouis alio caminus victricia festo?  
Scilicet ut per eos hominis natura triumphos  
Mota necem Christi mentes demittat in imas:  
Qui cum Tartareos descendens vicerat hostes,  
Ereptis patribus Plutonia regna subegit:  
Deuincensq; suis Orci virtutibus arcem  
Magna reportauit cum summa pramiam laude,  
Aeternamq; dedit nobis pro morte salutem.

Non exempla mihi, non plura vocabula desunt,

E quibus

Cur in publi-  
cis locis ima-  
gines ponan-  
tur.

Cur in icu-  
nio Dinorum  
imagines ve-  
lentur.

E quibus adductis monstrare per omnia possem,  
Quòd summus domina Romanus praesul in vrbe  
Non nisi per meritum Christi docuisse legator:  
Sed satis esse puto, quis enim tam stultus & excors,  
Tam rationis egens, vt lectis ordine scriptis  
Papam cum merito Christi non esse loquatur?  
Nam res ista pijs adedò manifesta videtur,  
Vt neque plana magis, neque possit verior esse.

Va. vobis igitur, qui; cum nos vera docere,  
Et sincera loqui, sentire probanda scientes;  
Creditis & passim nimium paretis inique

Alterius { menti } cuius { fallacia } lex } est  
          { lingua }        { conuitia } vis }  
          { scripto }        { mediocia } lux }

Nam qui perpetuò desudant atque laborant,  
Vt diro lacerent Christi mysteria dente,  
Vt multos homines sua per mendacia fallant:  
Hi sunt, qui meritum Christi nos scire negabunt,  
Hi sunt qui nullam dicunt restare salutem  
Pontificum famulis Romana probantibus acta,  
Aut etiam sacras de more colentibus aras:  
Hi diuina suis rident mysteria dictis,  
Hi populo nugas, nec non mendaciu vendunt,  
Hi modò de merito longè falsissima Christi,  
Hi modò de multis alijs noua crimina fingunt.

At quicumque sua volet inferuire saluti,  
Criminis auctores & eorum dogmata spernat,  
Depraefosq; lupos ouium sub veste rapaces  
Vitet, & in tuto positum conseruet ouile.  
Sed non hoc alia fieri ratione licebit,

*Quam si quis Domini Christi precepta secutus  
 Asserat & pura confirmet singula mente,  
 Quae sancita pijs patrum rationibus acta  
 Praesule Romano Christi Respublica credit:  
 Illa carens vitijs, Paulo testante, columna  
 Confirmata praest veris rationibus aequi.*

*Hac indiuidua est nullius conscia secta:  
 Haec, quamuis totum pateat diffusa per orbem,  
 Seruat vbique suos sub eodem numine ritus:  
 Haec ab Apostolico dependet in omnibus ore:  
 Haec viget, haec viuuit nunquam moritura superstes:  
 Haec beat, haec reddit mortales sola beatos:  
 Hanc pater, hanc patris defendit filius vnam:  
 Spiritus hanc vnam sanctus sine fine gubernat:  
 Hanc ego, mi Silui, semper, doctissime, tecum  
 Christicolam matrem vitiorum labe carentem  
 Ceu verum Dominam sincera mente fouebo,  
 Illiusq; meam fidei mandabo salutem.*

FINIS.

153  
 I N O B I T V M C L A  
 R I S S . V I R O R V M M . G E R A R D I  
 Pharmacopolæ foceri, qui obiit Anno  
 M. D. LXIII. die VIII. Iulij, annos na-  
 tus LXXVII. Et M. Andree Nerdeni ge-  
 neri, qui annos natus LXXIII. pie de-  
 functus est, Anno M. D. LXV. die Iu-  
 nij xxv.

*F A T O R V M series & ineuitabilis ordo  
 Destruit inuicta corpora viua manu.  
 Cuncta suis perimunt iaculis animalia Parca,  
 Et rumpunt medios praecipitantq; dies.  
 Nec prece, nec precio, sed nec pietate mouentur,  
 Immotos animos & fera tela gerunt.  
 Hei mihi quod nullis fatum mutabile votis  
 In nimium iustos sauit vbiq; viros.  
 Hoc queror, hoc, Silui, tecum, doctissime, questus,  
 Nunc patris atque tui concino funus aui.  
 Nam si vel pietas, vel amor queratur in illis,  
 Summus eis fuerit religionis amor.  
 Si labor & studij virtus spectetur virumque,  
 Ingenui studium cura laboris erit.  
 Multa pius genitor cunctis est passus in annis,  
 Dura puer tolerans plurima, plura senex.  
 Vt taceam, studijs quod Louaniensibus vsus  
 Magnificum clara nomen ab arte tulit:  
 Vt fileam patriam, quae Goica terra vocatur,  
 Vt genus & claros nomine gentis auos:  
 Vt quoque subiticeam, quod prima Syndicus vrbis*

L 5 Consuluit

Consultit magnis optima quæq; viris:  
 Hoc saltem dicam multorum pace virorum:  
 Omnibus è Batauis vix habet ille parem.  
 Quàm bona promebat misera solatia turba!  
 Pauperibus quantas largus habebat opes!  
 Quàm bonus & quantus vera pietatis amator!  
 Quàm coluit verum voce fideq; Deum!  
 Et tamen hunc (lustro postquam iacuisset vt æger)  
 Exiguo raptum tempore Parca tulit.  
 Scilicet ad socerum gener inde locatur amicum:  
 Hic fuit Andreas, ille Gerardus erat,  
 Et velut vnanimis vitam cum pace trahabant,  
 Sic iacet in tumulo corpus vtrunque suo.  
 Corpus enim terris vtriusque reconditur atris,  
 Sed superis viuunt nescia corda mori.  
 Stans igitur sacris dic manibus ista viator:  
 Cum socero generi molliter ossa cubent.

M. HANNARDVS GAMERIVS SVO  
 Henrico Siluio, & ceteris hæredi-  
 bus dedicabat.

PORNIVS  
 TRAGOEDIA VE-  
 RE SACRA, NON MI-  
 nus elegans, quàm pia, Vita vti-  
 lissima, nunc demum ad imitatio-  
 nem veterum in lucem edita.

Auctore

HANNARDO GAMERIO MO-  
 SÆO, COMITE PALATINO, POETA  
 LAVREATO, ET IN ACADEMIA  
 INGOLSTADIENSI, GRÆ-  
 CARVM LITTERARVM  
 PROFESSORE OR-  
 DINARIO.

Acta est cum summo omnium applausu,  
 Anno M. D. LXVI. vno die Amste-  
 rodami in Hollandia, & Landishutæ in  
 Bauaria.

## AUCTOR AD LIBRVM.

*Commendant alij libros per scripta Poëta,  
Et sua præfixo carmine facta probant.  
Sed neque te vanis coram laudauero verbis,  
Dum modo sis cultus, sat mihi culte places.  
Cogeris hinc igitur liber illaudatus abire:  
Vna probat ramus, non meliora facit.*

Idem ad Lectorem de fabularum materia.

*Si bene te nosti, non est mea fabula vita,  
Sed speculum est vitæ fabula nostra tua.*

REVERENDO ET  
DOCTISSIMO VIRO D.  
*Gasparo Phrasio Abbati in VVeichenstephen, digniss. Domino suo gratioso &c.*



OLUPTAS (inquit ille) malorum est esca, qua homines capiuntur, vt hamo pisces. O dictum præclarum, homine bono & sapiente dignum! Nulla enim pestis capitalior, nihil consilio, rationi & menti nostre molestius, nihil fallacius, nihil incertius, quod factis inducijs dormientem & incautum, inermem & imparatum hostem, tanquam ex infidijs adoriatur, & præuentum enecet. Fieri igitur non potest, nec mihi verisimile esse videtur, vt voluptati deditus virtuti consuescat, vel saltem animi salutis studeat. Nam præter alia, hoc voluptati proprium esse sentio, vt homines à laboribus honestis, & negotijs abstra-

abstrahat; ad otium verò & igna-  
uiam impellat, multisque & horrendis  
sceleribus obnoxios reddat. Hinc  
illæ hominibus miseræ, hinc tanta  
animorum copia Plutoni suppetit:  
hinc tot à recta via declinantibus,  
pauci ad cælos deueniunt.

Quæ ut sint plana & perspicua, stu-  
dii legentium, & spectantium oculo-  
rum & animis, mores, vitam, finesque  
scortantium & Epicureorum, sub  
vnius Pornij nomine, his nostris scri-  
ptis (quantum necessitas & occasio  
postulabit) describere, ne plus meo  
honori, quàm aliorum vtilitati consu-  
luisse videar. Nam sacrû & piû scri-  
bendi genus Tragicum, moribusque &  
vitæ emendandæ & corrigendæ aptis-  
simum, tam animo, quàm corpori cõ-  
ducit. Omnis Tragœdia, graues iniu-  
rias, immoderatos animi affectus,  
grandia & horrenda principum peri-  
cula ponit ob oculos: non ut imite-  
mus, sed ut fugiamus, & aliorum casu  
vel periculo edocti cautiùs viuamus.  
Hac de causâ suas scripsere Tragœ-  
dias,

dias, Euripides, Sophocles, & vetustis-  
simus Æschylus, & vnicus noster La-  
tinus Seneca: quorum scriptis tâta est  
dignitas, tanta verborû grauitas, tan-  
ta sententiarû copia, vt multorum ho-  
minum & barbarorû temporum ini-  
uria nõ potuerint opprimi. In hunc  
enim diem seruata sunt, & quotquot  
seruata sunt, extant integra. Illi quic-  
quid susceperûnt, solo rationis impulsu  
susceperûnt. Quicquid scripserûnt, vir-  
tutis studio & amore scripserunt, ad  
societatẽ seruadã omnia referetes,  
Christianæ & veræ religionis ignari.  
At nos Christi benignitatẽ experti, &  
per eius mortem à morte vindicati,  
& qualem vitam, & quid de religione  
instituisse oporteat edocti: cur tantû à  
religionis cultu, à societate humana,  
& à laudabili virtute obhorremus? O  
peruersi mores, O hominû peruersa  
sapiëntia. Sed hæc de veterû scriptorû  
Tragœdijs: nũc ad hanc nostrã perue-  
niamus: & si quid sit quod Lectorẽ for-  
tassis suspensum habeat aut sollicitû te-  
neat, diligenter expendamus, & equa-  
bilan-

bilance (quod aiunt) libremus. Primum omnium huic Tragoediae Pornio nomen fecimus, quod ille huius actor fabulae nunc malorum omnium loco, impiè Venerus (vnde illi nomen factum est) neque æqui neque iusti rationem habens, tandem detru datur ad inferos varijs cruciatibus excipiendus. Sic enim ferè consueverunt Tragici; sic suæ Hecubæ & Iphigeniæ nomen imposuit Euripides; sic suo Prometheo Aeschylus, & suo Aiaci Sophocles nomen fecit; sic alij alijs. Sed de his alibi abundè differemus: nunc nisi quæ ad hanc meam pertinent, attingemus. In hac enim Tragoedia nostra tantum veteres sum imitatus, quantum materia & res ipsa admiserit, si quid ad orationis & sententiarum grauitatem, dignitatem, breuitèrque, & cultam orationem attinet: & hoc certò affirmo nullam hominum personam esse introductam, quæ non aut animi aut corporis alicui parti seruiat, sed scito me neque Aeschylum, neque Euripidem

dem, neque esse Sophoclem: quorum si diligèns imitator dicar, sat est, & vellem mihi laudi verteretur, & laudabor (sat scio) ab æquis & candidis iudicibus. Zoilus autem in me dentes acuat, & me in honore nullo habeat. In hoc enim gloriabor, si illis poetis non absimilis nec dissimilis videar. Tria igitur hominum saluti vtilia in hac nostra continentur. Primò ostenditur iuuenum ferocia, peruersitas & dementia.

Hic virtus sanæ mètis officium dū peragit, & partim sani consilij, deflet & narrat Pornij amentiam & insaniam, seque vbique deserit, & solam, hoc est, sine socijs, relinqui, vbique premi & angere miserrimè. Secundò ostenditur amoris vis & violentia, & iuuenilis animi natura, ad voluptatem & Venerem, quàm æquum fuerat, procliuior, à virtute verò & ratione abhorrens & aliena. Dum enim iuuenem virtutis impulsu Theophilus blandè, humanè affatur, alloquitur & piè, sanctè instruit, edocet, & Veneris consortium

fugiendum admonet, ita vt pene eius animum demulceat: mox Amore, Voluptate, & Venere oppugnátibus, Pornius Theophilum magistrum & Virtutem dominam odit pessimè, vt apertissimè in agendo patebit. Solent enim iuuenes nimia Venere defatigati cōscientiæ morfu admoneri vel potius incitari, ita vt malefacta nō facta optēt, & meliorē vitam instituerē animo suo cōcipiāt: sed rursus stimulatē Venere à mēte & re proposita discedere. Tertio dæmonū insidias expressimus & mortē Pornij descripsimus, & in damnatū dæmonū insultationes finximus, vt lector & spectator cognoscat, quantū detrimenti Venus & Voluptas iuuenibus importent. Cū igitur hāc fabulam effecissem, & antē mēses tres limā æquiori, quod aiunt, cōmisissem, correctam & emēdatam amico meo summo Henrico Siluio Amsterodamo, M. Andreae Nerdenaris, viri doctissimi filio, & M. Gerhardi Pharmacopolæ optimi senis nepoti, iuueni nec inuenusto, nec

illitte-

illitterato, quibusdā horis legendi cōcessi: cui cū eam nō displicuisse intellexissem, tuæ R. volui eandem vir doctiss. tāquam mei ingenij post multa opera edita specimen dedicare, vt (ne præter morem aliorum poëtarū fecisse videar) sit mihi Mæcenas, qui, si sit opus, me & mea scripta quousq; iustum fuerit, defenderet. Velim igitur, vt hoc munus, quod sine damno tuo vltro offertur, gratū sit. Quandoquidē à Catholicè docto homine profiscatur, religioni verè & Christianè vbiq; cōueniēs & cōsentiēs. Habes certè vir reuerētia & eruditione ornatiss. munus à Gamerio tuo, quod te in rebus aduersis & tristibus cōsoletur, & in lætis gaudia accumulēt. Quod si tuæ R. ex parte gratum fuisse intellexerō, vel senserō, gaudebo, & gauisum ad maiora tanquam calcaribus additis incitabis, & quod te amplius celebret, maiori etiam opere ditauero. Quamobrem accipito hoc animi mei erga te munus & pignus, & si forte in hac elaboranda & emendanda

M 2 minus

minus diligens fui, meæ iuuentuti  
& inertię adscribito: sin etiam mea  
scripta placuerint, diuino numini tri-  
buito semper in omnibus prædican-  
do. Vale, Ingolstadij pridie Kalen-  
das Iunij, Anno 1566. Tuus ex suo  
Musæo Mosæus.

PRÆ-

PRÆFATIO DE VTILI-  
TATE TRAGOEDIÆ.

**C**VM multum diuque cogitaſſe,  
quid huic meo libello additum  
maximè pueris cõduceret, in me-  
tem venit, vt aliquid de utilita-  
te lectionis Tragicæ, eiusque com-  
positione aliquid incundum & vtile & ne-  
cessarium breuiter meo huic qualicunque o-  
peri præfigerem; & ab epistola priori seiun-  
ctum, ne lectorem longior epistolæ lectio fa-  
tigaret, reponerẽ. Quod sanè nõ vt volui, sed  
quantum potui, præstiti, & tantum fortassis  
quantum pueris profuerit. Primùm omnium  
Tragœdiam deductam voluit, ἀπὸ τῆς ἱερά-  
της, quòd Tragicæ compositionis premium,  
hircus daretur. vnde Horatius: Carmine qui  
Tragico vilem certabat ob hircum. Secun-  
dò deduci putat τὰ πρῶτα καὶ ἐὸ δὴν,  
quòd canerẽt inuncti fecibus ora. Huius au-  
ctores fuerũt Sophocles & Euripides, quo-  
rum scriptis tanta fuit auctoritas, vt eorum  
testimonia ipse Cicero tãquam oracula ubi-  
que citet, & in medium adducat.

Fuerunt certè ipsi scriptores in magno ho-



nore & pretio, p̄j, sancti, sapientes, graues,  
 diuini & intelligētes dicti. Nam Aeschylus  
 apud Hieronem Sicilia regem pro numine  
 aliquo diuino habitus fuit, non solum poeta,  
 sed & Pythagoreus, qui magnis & gra-  
 uibus negotijs praesuit, domi in pace, foris in  
 bello. Sophocles fuit familiaris & summus  
 collega Periclis, cuius cura & auctoritate  
 vniuersa Athenae regerētur. Euripides Ma-  
 gno Arcesilao regi Macedonū, vt alter vex  
 fuit, cuius cōsilio & industria Rex institue-  
 retur & viueret. At nunc poeta regibus?  
 Nihili sunt. minus minusq; indies coluntur.  
 Nonne videmus preclara ingenia exsurgere  
 & nasci, qui cū doctiss. quibusq; viris con-  
 ferri possint, inter quos Lambertus Hortē-  
 sius omnibus numeris absolutus, mihi notus  
 & praeceptor: qui quid scribendo possit, nulli  
 nō docto notū est: & alij quidā praecleari re-  
 cētiores, vt Gerardus Dalāthus, Gulielmus  
 Gorconius frater meus, & Ioānes Banckius  
 Leydēsis, Hēricus Siluius ante omnes in om-  
 nibus excellens, & mille alij in Germania,  
 sed ante omnes alios optimē de me meritis  
 Fridericus Furius Cariolanus, vir Hispanus,  
 optimo ingenio suauiq; eruditione praeditus.

Sed

Sed haec haec tenus. Nunc ad Tragœdiā reuer-  
 tamur. Est Tragœdia, inquit Aristoteles,  
 imitatio rei seriae & perfectae, amplitudine  
 excellētis, oratione suauiter cōdita, cuius sin-  
 gula formae diuersis in partibus negotijs sua  
 munia obeāt, & quae non per enuntiationē,  
 sed per terrorē & cōmiserationē talia mala  
 perducit ad finem. Haec Aristoteles. Ex hac  
 argumēti definitionē quāta vis, quāta digni-  
 tas sit Tragœdiae, facile iudicari potest. Nec  
 mihi à vero aberrare vidētur, qui Tragœdiā  
 vitae Heroicae imaginē dixerunt, & speculā  
 vitae aulicae, quod in hac semper regū aut ma-  
 gnatū vitā actores & poetae representēt, &  
 mores magnatū dū scribētes carpunt, nostros  
 corrigēdos esse & aliter instituēdos demon-  
 strāt. Vt ego puer, dū carmine descripsi, se-  
 vitam Aulicam, & Aulicae vitae miseriae  
 & incommoda, sic acclamo factio prioris  
 carmine & sententia:

Quorū si cupiat quis tanquā cernere contrā,  
 Plura legat tragicū superās grauitate poema  
 Omne genus scripti tātū, quātū esse minores  
 Principibus famulos vulgus mutabile fētis,  
 Aut quātū superāt nostros scribēdo poetae,  
 Saecula quos verē genuerūt aurea quōdam.

M 4

Rebus

Reb' enim Tragicis sunt aurea pōdere magno  
 Dicta, quibus crebrò res est ornasse decorū:  
 Hoc si materiae locus aut oratio poscat,  
 Insuper ad mores humani corporis illa  
 Scripta bonos faciunt certū mōstrantia finē,  
 Irarumque modum, iuuenis quo debeat vi,  
 Circūspecta senis quem ducāt verba disertī.  
 Nam velut in speculo, finē spectare malorū,  
 Nobiliumque simul vitam moresque tueri  
 Hinc datur, & nimium crudelis fata tyrāni.

Hec ego puer: sed quia videntur reicon  
 uenire, & argumento nostro respondere, in  
 mediū protuli. Species verò Tragicæ sunt  
 quatuor, duæ quoad σύνθεσιν, duæ quoad  
 διάθεσιν. Secundum σύνθεσιν, alia est sim-  
 plex, alia implicita, secundum διάθεσιν, alia  
 est ἐθικὴ, alia παθητικὴ. Partes verò, quas  
 Grammaticorum vulgus Integrales vocant,  
 sunt πρόλογος, χόρος, ἐπεισόδιον, ἔξοδος.  
 Prologus est illa Tragicæ pars, quæ chorū  
 precedit, in qua solent exponi argumenta,  
 & totius fabulae vel Tragicæ occasiones  
 & causa. Nam πρόλογος præfatio, proce-  
 mium sonat. Ἐπεισόδιον est pars integra,  
 quæ inter Chori versus consistit. Ab ingres-  
 su enim nomen habet, Latini Actum vocāt,  
 qui

qui inter quatuor Chori carmina ter interce-  
 dit. & tales tres sunt, quibus τῶ πρόλογος  
 καὶ ἔξοδος additis efficiuntur actus fabulae  
 quinque. Ἐξοδος est pars ultima Tragicæ  
 die, post quam non sequitur Chorus. Χόρος  
 est veluti boni & πῦ ciues virorum non  
 mulierum partem agens, qui inter singulos  
 actus intercedit, & orans canit, ut mala ce-  
 dant, abeant & recedant. Vnde Horatius in  
 Arte:

Auctoris partes chorus officiumque virile  
 Defendat, ne quid medios intercinat actus,  
 Quod nō proposito cōducat, & hæreat aptè.  
 Ille bonis faueatque, & concilietur amicis,  
 Et regat iratos, & amet peccare timentes.  
 Ille dapēs laudet mensa breuis, ille salubrem  
 Iustitiam legesque & apertis ocia portis.

Sunt igitur hæ partes integræ Tragicæ:  
 & his faciemus finem. Velim verò ut eo  
 sis animo & illa mente, ut quicumque vel  
 hanc meam, vel alterius Tragicæ vide-  
 ris, notes gestus, mores, & vitam malam,  
 quæ in omnibus ostenditur: & credas mo-  
 res malos hic depictos, non imitandos sed  
 fugiendos. In hac enim mea doceo & de-  
 monstro virtutem amplectendam, volupta-

rem, & amores impios spernendos, utpote iuueni perniciosos & noxios: praeterea laetitia dolorem misceri, & mulierum inconstantiam pinximus, demonum insidias expressimus: ut spectator actionem hanc Tragediae intuitus, à Venere ad virtutem se totum referat. Tu vale & frueri.

Personae Tragediae.  
 Virtus.  
 Theophilus, Praeceptor.  
 Amor.  
 Venus.  
 Voluptas.  
 Porcing, & Libertas.  
 Amor, seu Cupido.  
 Abaddon { Demones.  
 Miasma {  
 Mors.  
 Pestis.  
 Numbus.

M. HANNARDI GAMERII

MOSÆI PORNIVS.

Praefatur Virtus.

Carmen Iambicum Trim. Acatal.

**I**ntegra patris Virtus supremi filia,  
 (Solum hoc enim nomen mihi relinquitur.)  
 Aurata summi templa deserui atheris,  
 Locumq; Diuis Diua venturis dedi.  
 Stellas in alta parte precipitis poli,  
 Ut Arctos, Orion, vagaq; Atlantides,  
 Habere potui, aut pro Dea sancte coli,  
 Quibus ego speretis misera stultè honoribus,  
 Terras colere, inserere me mortalibus  
 Hominumq; consuetudini duxi vile,  
 Qui me vel angue peius oderunt mali.  
 Alij suos socios habent, ego sola sum,  
 Sola ego relinquer, sola destitutor meis.  
 Ego sola paruas & humiles habito casas:  
 Nulli mihi sacrificantur agni vel boues.  
 Nulla mihi struitur ara, nullum tibus datur,  
 Sed nec aliquis mihi munus eger vouerit.  
 Malefacio nulli, benefacio omnibus.  
 Malefaciunt omnes mihi, nemo bene.  
 Omnes pariter odere Virtutis viam,  
 Vbicunque mundo terra creat Adamidas.  
 Ego illa quae dira atque dura sentiam,  
 Molestijs durisq; pressa vinculis:  
 Quae luce caream, quae tenebris obsita

In carcerem conijciat, & miris modis  
 Passim cruciet ob veritatis pramium.  
 Carnem tabefacit hostis & macerat cutem,  
 Morboq; frangit ossa nostra tabido.  
 Extorris abigor, & meum linquo solum  
 Dulcemq; patriam, vincit hostis omnia,  
 Nostrosq; depopulatur agros & domos.  
 Superest nihil, vix vita mihi relinquatur.  
 At tu pater, celestis auctor luminis,  
 Quousque tandem passus hostium dolos  
 Sine merito patiere virtutem premi?  
 Videſne vt atra bile durus Pornius  
 Heu heu nimis precipite se ferat impetu:  
 Nostrosq; casu monte deiectus graui  
 Peruenit ad valles Voluptatis miser,  
 Domosq; Veneris, nostra spernens gaudia,  
 Colitur Venus, colitur Voluptas impie.  
 In honore sunt multi deaſtri demones:  
 Christus tamen salutis auctor & dator  
 Velut alienus inter hos contemnitur,  
 Eiusq; sacra deprimuntur numina.  
 Hinc scilicet sacra abrogari cernimus,  
 Legesq; latas à Deo vel patribus.  
 Hinc dira cades oritur, & scelerum domus  
 Mundi caput principibus iniustum bonis,  
 Et aula proditoribus plenissima:  
 Quæ scilicet Bacchi ministret fercula,  
 Vel luxui, vel corpori studentibus.  
 Non cura Christi est, non pia Dei mentio.  
 Solus amor improbus, & voluptas imperant.

Venus

Venus & Amor socius, Voluptas impia  
 Hominibus erumnas, furorum copiam,  
 Sectasq; & errores, dolosq; preparant.  
 Recte igitur irarum domum Veneris domum  
 Dixeremus, ipsamq; Venerem matrem mali:  
 Quæ cum iuuentam blandius miseram allicit,  
 Plus gaudet illecto in suos casses viro,  
 Quam piscibus piscator exultat suis,  
 Hæmi cibus fallaciam te gentibus.  
 At ego, quid illa? quid ista? quid & hæc denique?  
 Cur vsque varium misera passa dedecus  
 Totos dies me dedo tota fletibus?  
 Et cur reliqui patrias celum domos?  
 Quid multa? (sed defensor est noster Deus)  
 Virtus (modo vlla) est omnium miserrima:  
 O d & d, nimis beatos sentio,  
 Quibus datum in patria cum amicis viuere.  
 Exul abigor, locusq; certus non datur,  
 Nouumq; semper crastinus dies malum  
 Adfert, prioreq; peius antiquo est nouum,  
 Nec quis dolori mitigando consulit,  
 Nisi vnus, & mihi certa spes, solus Deus,  
 Eheu, & heu, sola mihi spes, & certa spes.

SCENA SECVNDA.  
 THEOPHILVS, VIRTVS.

TH. Quis fletus hic ad ostium? que vox noua  
 Peruenit ad nos? aut quis ignotus meas  
 Fæmineus aures vsque rumor verberat?

Hem

Hem virgo, qua passu capillis ingemis,  
Tene male sanam genius exercet malus?

VIRT. Dana ego Domine, casuq; nostros defleo,  
Iniuriasq; TH. Vlsciscere. VIRT. Vltor est Dem.

TH. Deus vltor est, si tam diu quis differat  
Animos feroces, & animi studia mali.

VIRT. Differre me docuit pater, differre me  
Patiq; mater docuit: & malum bono,  
At non malum factum malo rependere.

TH. Hem docuit hoc mater? docuit illud pater?  
Dic cuius es? VIRT. Quia me Deus fecit, Dei.

TH. Siccine? sed vbi patria? VIRT. Ego caelestis Dea.

TH. Deane? VI. Dea, in qua, sum. TH. Dea nisi Ma-  
Nos nulla habemus, nec nisi Deus Christus est. [ria

VIRT. Me Christus adamat vnice, cumq; Maria  
Semper fui. TH. Tecum Maria mater Dei

Virgoq; caste casta que Christum dedit?  
Tecumne cum sis florida etatis rosa?

Annisque florens admodum florentibus?

VIRT. Ego cum Deo Christo meo semper fui,  
Et antequam Maria sata foret, ego fui.

TH. Dic ergo que Dea: modo fas est dicere.

VIRT. Vitia fugo & fugio, & honestissima sequor.  
Homines in altam duco caelum patriam,

Venerem Voluptatemq; contemno simul,  
Et omnium deuito turbam prodigum.

TH. Malos fugis, hominesq; vitas prodigos?

Dic ergo, quod nomen tibi Christus dedit?

VIRT. Si nomen ad te venerit agetus meum

Ο τῆν ἀγαθὸς ἑρομαί μου ἀρετῆν λέγει.

TH. At

TH. At ego loqui Gracè Latinus non scio.

Nam Theophilus (quamvis & hoc Graecum sonat)  
Verbis studet simplicibus & nudis modis.

VIRT. Ne te ergo suspensum Domine teneam diu,  
Aures tuas ori meo parum admoue.

Virtus vocor, nomenq; Virtutis meum est.

TH. Tun' illa Virtus? tun' mei capitis decus?

Venisse me ad te gratulor, videre me

Gaudeo, locutum gestio. At non nosse mox  
Doleo, & id ignosci mihi desidero.

VIRT. Ignosco cuius facile qui facto dolet,  
Sed & inimicis vltro cupio ignoscere.

TH. Facto doleo, animusq; condolet tibi,  
Nostraq; spretam amicus excipiam domo,

Et, si potest fieri, serum mulcebimus,  
Veneris retentum liberando vinculis.

Sed dic mihi, dic obsecro qua nam via,  
Quaeue species veri fefellerit hominem.

(Nam Pornium infestum tibi fama retrulit)  
Quaeue ira quam altè sederit animo viri:

Quapropter expelli suo regno velit.

Et quam diu Venus & Voluptas in homines  
Exercuere vi potestates suas.

Dic obsecro qua caussa sit, dic obsecro.

VIRT. Quanquam mihi Theophile durū praecepis,

Quanquam laboris est meminisse durius,

Quanquam referre praeterita durissimum est,

Nihil oberit, quo minus originem fuge

Itaq; causas Porniae descripserim.

Narrare durum est, sed tacere durius.

Cum

Reijceret  
istud carmen  
Aristopha-  
nes, sed non  
caret suo my-  
sterio, expri-  
mit enim ani-  
mi perturbati  
pronuncia-  
tionem.

Cùm foret adhuc mundus chaos & moles rudis,  
 Neque sol erat, neque luna, neque stella, neque  
 Diuisa ab vndis terra erat, sed omnia  
 Confusa & omnia mixta, nil solidum fuit.  
 Fecit itaque Dominus Deus noster Ioua  
 Terram & polum, atque à nocte secreuit diem.  
 Hinc æthera liquidum & arbores, qua dent suos  
 Ferantq; iusto quæque fructus tempore.  
 Hinc sidera atque annos, & anni tempora,  
 Et fecit idem Ioua pisces, aues, animantium  
 Varia genera, nempe pecorum & serpentium.  
 Quæ cum videret Dominus esse bona omnia:  
 Faciamus hominem, inquit, ad imaginem nostri,  
 Faciamus vt quæcunque terra fecimus  
 Is imperet, sic vltimum fecit hominem.  
 Adamus autem & Heua mater omnium,  
 Deo sacrifiq; cum darent rebus operam,  
 Vixere in horto mente nudi, simplices,  
 Rationis & iudicij acuti compotas:  
 Coluere Dominum, coluit hos Deus quoque,  
 Et terra quicquid alma viuum protulit  
 Vel mortuum, sub illorum imperio fuit.  
 Exhibuit illis vltro rerum copiam,  
 Quæ vel animo, vel nutriendo corpori  
 Conduxerint, vitæq; qua profunt pia.  
 At arboris vesci negatum est fructibus,  
 Quibus inerat boni & mali scientia.  
 At non Satanas passus est vitam piam  
 Homines Deo parenti amicos ducere,  
 Sed mulieri (verbis facio finem mei)

Serpens

Serpens vaser, dolis repletus plurimis,  
 Aliena verò subdolos persuasit, &  
 Vitios cibos vitæ arboris fructum dedit.  
 Tunc illa Adamo dare viro pomum suo,  
 Et vterque vitatum, dulce quod erat, comedere.  
 Quod hei dolor vitamq; & otia sustulit.  
 Namque Paradiso vterque lapsu pulsus est,  
 Auxit laborem, & imperia minuit Deus.  
 Adamus autem munus oblatum à Deo,  
 Et bonum habuisse, non nisi amissum dolo,  
 Sensit dolens verbum patris non irritum.  
 TH. Ita & homines nunc sunt, manu vt cum bona  
 Non sentiant, amissa verò nouerint. [habeant,  
 VIRT. Ita est, sed ego pergã eloqui. TH. Pergæ obse-  
 VIRT. Abeütibus nullus comes erat miseria. [cro.  
 Nemo comitatus, nemo consolatus est.  
 Malum addidere remedium malo suo:  
 Quorum ego laborum & miseriarum tristium  
 Miserta (vt ego homines amore prosequor)  
 Qua parte potui maximè, quæque licuit,  
 Molestias leuando consolata sum,  
 Animisq; verè pœnitentibus adsui,  
 Aegrisque medicinam adhibui certissimam,  
 Hanc, qua potiti sunt, salutem pollicens.  
 Conualuit ergo illorum animus, & spes pias  
 Mentis aluit, & robur agris addidit  
 Dies salutis prædicando nuntios.  
 Capere itaque piè atque honestè viuere:  
 Deum colere, parère sacro iussui,  
 Victum suum laboriosè querere,

N

Terras

Terras subigere & eas aratro findere,  
 Simulatque prole multiplice ditescere,  
 Hominumq; multitudo late crescere,  
 Et pulchra easdem vbiq; nasci filia:  
 Quas quia petebant pro libidine principes,  
 Nata est Voluptas, nata Venus est improba.  
 Has efferebant, deprimebant me: has quoque  
 Solas genus gigantum atrox & impium  
 In pretio habebat, vera spernens numina,  
 Mihi exilia primum hoc minatum tempore.  
 Deus itaque notauit hominum mores malos,  
 Orbemq; corruptissimum atque pessimum,  
 Et pariter eluione cunctos perdidit,  
 Noa Noaq; filijs & coniuge,  
 Nuribusq; seruatis, comite me, me duce,  
 Arcam Dei ingressus, quibus egressus datum est  
 Pie & beatè viuere, & vitam piam  
 Aetatis aspicere secunda, & tempora  
 Iucunda patrum pijsimè viuentium.  
 Sed (hei dolor) Venus & Voluptas obsuit.  
 Hac multa finxit scelera fœda & turpia.  
 Illa Sodomam & Gomorram, & alijs pessimis  
 Sceleribus infecit, adèd vt eas Deus  
 Igni cremarit, & igne picco euerterit,  
 Et funditus fulmine suo deleuerit.  
 Nec dum hoc satis fuit, sed & vatum genus,  
 Regesq; terraq; dominos impia Venus,  
 Impia Voluptas ad scelera multa impulit,  
 Docuitq; turpi colla subijcere iugo.  
 Exempla nota sunt, sacros si quis libros

Perle-

Perlegerit, vel ab alijs audierit:

Quaquam probare vita communis potest.  
 Samsona perdit Dalila Samsonia Venus.  
 Ammon sororem Veneris impulsu stuprat,  
 Venerisq; stiaſu Dauid vt adulter cubat.  
 Et Solomo vanos mulierum sequitur deos.  
 Cogente Venere foacimi coniugem  
 Vno ore gemini sine merito culpant senes.  
 Vis plura: verùm pluribus non est opus.  
 Hac igitur & similia cùm eueniant mihi,  
 Aggredior homines & debortor, explicans  
 Et detegens turpissimam libidinem,  
 Venerem, Voluptatemq; detestabilem,  
 Horribilem & impiam, adferentem incommoda,  
 Morbos, breues noctes, breuem vitam quoque,  
 Mortem citam, horrendasq; pœnas mortuo.  
 His, qui mihi auscultant, bene est: qui non, malè.  
 Vt huic erit fortasse iuueni Pornio,  
 Quem quia quotidie admoneo, Veneri adsuescere,  
 Adulterare, infanda scelera admittere,  
 Esse impium: infestissimum hostem mihi habeo.  
 Qui me angue peius pessimo odit & fugit.  
 Quare velim Theophile conuenias virum,  
 Vt quo sit in me animo prior cognoueris,  
 Ne fortè aliquod imminet huic periculum.  
 Nam noster audet spiritus, sed caro timet.  
 TH. Ah ah, vt est vita hæc repleta miserijs!  
 Vt semper vndique deprimunt bonos mali!  
 Qui mala recipiunt consilia, bona respuunt.  
 VIR. In genere tales sunt modò adolescentuli,

*Vt consilia sana & salubria fugiant,  
Semperq̄ mala tanquam bona & sana appetant.  
Sed age Theophile, precibus indulge meis,  
Et vt boni officium est viri, cautè ambula.  
T H. Timeo, tremo, tristor, animusq̄ dolet mihi.  
Nihilominus prouinciam hanc suscepero,  
Animumq̄ durum (si potero) molliuero.  
VIRT. Faxit Deus, faueat Deus, proficit Deus.  
Quem ego interim laudabo patrem carmine,  
Vt cuncta proueniant, vt optamus, tibi.*

## CHORVS BONORVM CIVIVM.

Versus Glyconici.

*PATRES, qui superas domos  
Cum Christo colitis p̄j,  
Exaudite pias preces,  
Et vestro auxilio graues  
Curas demite pectori.  
Mater virgine castior  
Dei sola puerpera,  
Nobis sollicita prece  
Natum concilia tuum,  
Vt votis liceat frui.  
Hinc vos ò animi p̄j,  
Atque omnis simul angelus,  
Quem non vlla superbia  
Audax extulit in Deum,  
Sed qui perstitit in fide.  
Omnes vos quoque calites,*

Quos

*Quos Virtus beat inclyta,  
Rogamus madidis genis,  
Ne sint vana nec irrita,  
Quæ nobis cupimus dari.  
Sit longè exilij locus.  
Absit mollis inertia.  
Adsit cognitio Dei.  
Sed certamina Pornij,  
Et fallax iaceat Venus.  
Sic Virtus equidem diu  
Amissum repetet decus,  
Et sic Fas caput eriget,  
Condeturq̄ malum Nefas,  
Vt sit Iustitia locus.*

ACTVS SECVNDI SCENA  
PRIMA.

Theophilus, Venus, Voluptas,  
Pornius, Amor, Virtus.

Carmen Anapæsticum Dimetrum.

*T H. Quò tandem pergis? cur scelere  
Teq̄ tuosq̄ grauas semper nouo,  
Animoq̄ indulges nimis improbo?  
An credis posse Deos Porni,  
Quæ possint homines latuisse?  
An pater athereus, qui pontum  
Terraq̄ premit latè imperio,  
Iuraq̄ qui calis præscribit,*

N 3

Ebric-



*Ebrietatem scelerum caussam*  
*Incestumq; & adulterium, clam*  
*Contra fasq; piūmq; admissum,*  
*Non videt humana scrutator*  
*Mentis rerumq; parens omnium?*  
*Certè, fili, singula prospicit*  
*Et videt, interdum tamen ipsum*  
*Differt, dissimulatq; mora scelus.*  
*Quare mi Porni animos frena,*  
*Veneremq; istam iam tibi dexterum*  
*Claudentem latus effuge, dum potes,*  
*Virtutemq; animis complectere,*  
*Sine qua, vt pontus incers, omnis homo*  
*Brutoq; simillimus hac vita*  
*Fruitur, ducensque suos spiritus*  
*Cælos erectus frustra aspicit.*  
 P O R. *O phi cane senex mihi iniquior,*  
*Exuperans feritate leones,*  
*Adamanteq; tu durior omni,*  
*Tristia profers & inutilia,*  
*Qui iuuenes adsuescere lusbis,*  
*Veneri, blandaq; Voluptati*  
*Vsq; vetas, Virtuti suades.*  
*Verum age quam Virtutem predicas?*  
 T H. *Dominam re vera doctissimam,*  
*Et turpes fugientem fastus,*  
*Speciosam, blandam, tamen integram,*  
*Diuinis artibus instructam,*  
*Similemq; Deæ, similesq; Dijs*  
*Homines reddentem immortalibus.*

P O R. *Qui verò hanc genuere parentes?*  
*Quæ patria? quibus nunc in sedibus*  
*Siue locis Dea tanta moratur?*  
 T H. *Proh dolor, ipsa Deo patre nata,*  
*Nectare & ambrosia nutrita,*  
*Istis mundi finibus exul,*  
*Incerta nunc sede vagatur.*  
*Si verò hanc fili desideres,*  
*Atque animo, quali decet, expetas,*  
*Coram virginis audiuisse,*  
*Et tibi reddere verba licebit.*  
*Ipsa tamen semper gaudet probis*  
*Et iustis rationibus vii.*  
*Ratione vtentibus est præses,*  
*Et iniqua volentes non recipit.*  
*Odit iniquos, odit inertes,*  
*Prauorumq; hominum commercia*  
*Astidæ fugit, & malè vult malis.*  
*Contra, iustos, gratos & pios,*  
*Fortes, equos atque modestos,*  
*Sociosq; suos fouet in gremio.*  
*Sed quam dico præsentem aspice.*  
 V E N. *Mea lux, & nostra spes vitæ,*  
*Mentis salus & solatium,*  
*Nostra delicia, mea mentula,*  
*Oculis & vita mihi carior:*  
*Mène tuam linques? natumq;*  
*Blandum, dulcem, pulcrum & amabilem?*  
*Flentemq; Voluptatem, vtrique*  
*Nostrum non infidam famulam,*

Lacrymis vultus fœdantem suos,

Tristiq<sup>3</sup> gradu terga sequentem?

POR. Hem mihi pulchra Voluptas & Venus,

Tuq<sup>3</sup> puer Amor retia tenditis?

Hem quod facinus commissum luo?

Cur ego nunc, tanquam sceleris reus,

Retibus includor? telisq<sup>3</sup>...

Cur pectora saucia reddis Amor?

CVP. Vt semper Porni sis mecum,

Inq<sup>3</sup> meis castris vt milites.

POR. Duram militiam mihi memorat,

Dura nimis stipendia feci.

TH. Sic Porni pergito, sic vir eris.

Principio finis respondeat,

Iurgia ne cõito, ne cõito lites,

Et Amorem Veneremq<sup>3</sup> repudia,

Si perstes, victoria parva est,

Virtutemq<sup>3</sup> ferēs tua premia.

POR. Cur me miserum soluere vinculis

Cessatis? telisq<sup>3</sup> eximere?

CVP. Fœdera pacta manent semper rata.

Nulla fides promissa peribit.

Sed tamen hanc concessero gratiam,

Vt quocunq<sup>3</sup> tuos direxeris,

Nunc celeres, nunc tardos gressus,

Me duce seu comite tibi liceat.

POR. Deme igitur mala vincula pectori.

CVP. Illa tibi est concessa potestas,

Si vis. POR. At dum volo, nec possum,

Nec fieri patitur nostra Venus.

TH. Ve-

TH. Verùm heus tu, si mihi parueris,

Tibi Virtus laxabit claustra,

Et manicas & vincla leuabit,

Telisq<sup>3</sup> feris vulnera facta

Sanabit, nodos diuellet,

Tenebraq<sup>3</sup> omnes oculis auferet.

POR. En tibi pareo. fas est alloqui?

TH. Dubitas? est mitis & affabilis.

POR. Ausim Dominam cominus aggredi?

TH. Socijs se recreat mortalibus.

POR. Ergo non vllam patior moram,

Sed, quia sic vis fieri, pareo.

SCENA SECVNDA.

Pornius, Virtus, Voluptas, Theophilus, Venus, Cupido.

POR. Salue Dea. namque haud mortalis

Tibi vultus, neque sunt tibi mores,

Neque gestus tibi nobiscum pares.

VI R. Et volo te saluere vicissim,

Sed vinclis inclusus Amoris,

Socioq<sup>3</sup> Cupidine nostra pede

Limina contingis? quis ad hoc te

Impulit? aut cuius monitu venis?

POR. Theophilus mentis rector meae,

Vfusq<sup>3</sup> tua consuetudine,

Has iussit me inuisere sedes:

N 5

Scilicet

Scilicet vt releues mea pectora  
Tanta mole, & vt hunc socium fuges:

Vtq; ad amicitias adscribere  
Vestras, quo melior sim, me velis,  
Et scelerum commercia linguam.

VIRT. Ego non adscripsisse grauabor,  
Si tibi iussa capeffere nostra  
Fas, aequum atque pium videatur.

POR. En, Virtus, tibi proximus esto.

VIRT. Quare cum socios accedere nostros,  
Et numerum cupias augere,  
Ista tibi fuerint facienda:

Quodcumque tibi cupias fieri,  
Alijs prastiteris salua fide.

Quodcumque tibi inferri nolis,  
Intuleris nulli, nedum malo.

Inuidia, aut ira, aut etiam odio  
Alterius fama nil detrabas,  
Nec honores alicuius ledas:

Præterea illecebras foedas fuge,  
Et non sit tibi grata Voluptas,  
Non rapiat mentem turpis Venus,

Quæ pars ipsa sui minima foret,  
Si cultum, aurum, & gemmas negligat.

Esto memor diuini iussus,  
Esto memor Christi, quem me duce,

Et Apostolica seruata fide,  
In calis pia sceptrâ tenentem,

Iuraq; pia dantem conspicies.  
Esto memet truculenta mortis,

Quæ

Quæ venit hora qua minimè velis,  
Et qua minimè decuisse putes.

VEN. Siccine tu meretricem sequeris?  
Sic Porni mea gaudia linques?

Heu qua te dementia vexat?

Cur maui Porni, miser, indignus,  
Macer & sobrius atque eneruis,

Quam summis delicijs nostris,  
Et rerum vbere semper copia

Pinguis, opimus, viribus integer,  
Vitam iuuenilem transigere?

VIRT. Dum promittit Venus ista fauos,  
Perfida vobis aloën miscet.

Luxuria tota Venus dedita est,  
Pectore semper turpia versat,

Et benefacta malis mutat suis.

VEN. Siccine præter te, mi Porni,  
Nunc cogar degere vitam in malis

Et lacrymis tantis? sic pœnam

Tanquam debita præmia donas?

Hæc promissa fides? hæc gratia?

Hæc vox, qua me tibi carissimam,

Quæ mel delitiarq; vocabas?

Non mihi Pornius esse videris,

Non homo, quodd sis immanis, atrox,

Quoddq; societatem nostram horreas,

Quam Deus ipse putet seruandam.

POR. Virtuti addictus detineor.

VEN. Heus semper mihi fida Voluptas,  
Auxilium præstemus Amori.

POR.

POR. Quid feror infelix: quod iam trahor?

Quid ruitis: quod me deducitis?

Iam Virgo vale, nunc Virtus vale.

Supremum tibi nunc dico vale.

TH. Hoc auertant Dii, nam si velis

Tam coitus vitare nefandos,

Si nolis contingere stupra,

Et si praecepta colas Virginis;

Nil in te iuris habebit Amor.

POR. Singula qua memoras scio vera,

Sed peiora sequi, mentem furor

Cogit, & in praeceptis animus ruit,

Frustraq; salubria consilia

Et sana peto, nam quod poscit

Virtus, furor hoc animi vincit,

Et cogor parere Cupidini.

Non igitur mentem crucies meam,

Nec caput hoc auresq; fatiges,

Theophile, molestis clamoribus.

TH. Dum tu fili Venerem sequeris,

Et pestem & perniciem sequeris.

POR. An adhuc mutis Theophile? tace.

Quoties hac tibi dicenda putas?

Nam mihi tanquam lapidi loqueris,

Surdo caris, & nihil efficies.

Namque mihi sic stat sententia,

Et mihi sic hac fixa manebit.

TH. Cessamus fili, cessamus,

Sed factis dictisq; dolebis.

POR. Ipse probabo, quid ferat exitus.

Mea

Mea res agitur, minimè vestra.

Si venit ex merito poena mihi,

Meritò mihi poena ferenda venit.

VEN. Rectè, sanè, & singula bellè.

Quid enim tibi profuerit Porni,

Si mentem animumq; tuum vexes,

Et genium miserè defraudes,

Alimenta<sup>q;</sup> ventri subducas?

Quid tibi profuerint ieiunia,

Vana sacerdotum commenta?

Nil prorsus, si rectè iudices,

Cùm cesset post fata Voluptas.

POR. Quid verò sentit dulcis Amor?

CVP. Vt genio indulgens cures cutem,

Nugasq; istas intus negligas,

Meq; ducem cum matre sequaris:

Vtq; Voluptatem famulam colas.

POR. Nos igitur subito paremus,

Miserisq; modis hostes nostros,

At infestos exercebimus.

SCENA SECUNDA.

Pornius, Virtus, Voluptas,

Theophilus, Venus, Cupido.

VIRT. Abit hinc, abit infelix Pornius.

O caro, qua non sentis verbum,

Qua mundum curas, qua sacra

Contemnis, quantumuis noueris.

O caro,

O caro, cur non verbo credis?  
 Caro carnem perdit, sed verbum  
 Carnem seruat. verbum nosti,  
 Sed verbo miser homo non credis.  
 O homo, inquam, cur effers te? cur  
 Aevi finem non consideras?  
 Nil metuit, summiq; Dei patris,  
 Verè restis, iustè iudicis,  
 Nullam rationem aut curam gerit.  
 Nam me miseram miserè excrucians  
 Iussa Dei socors contemnit,  
 Et Christi famulo Theophilo  
 Abiens tacitè dira minatur,  
 Operam Veneri dat, me spernit,  
 Veneratur Amorem, Christum fugit.  
 Insectaturq; Voluptatem,  
 Epulatur, gaudet, saltat, canit:  
 Non meminit morbi neque mortis.  
 Exultans opibus confidit,  
 Et claris ingenij dotibus.  
 Quid dicam? exitus acta probabit.  
 Vos verò qui sapitis, casum,  
 Fortunamq; malam & vitam, dato  
 Tanquam pictam in speculo, Pornij  
 Aspicite, alteriusq; periculo  
 Viuite meliores edocti,  
 (Dulce est damno alterius sapere).  
 Virtutiq; mihi locum detis,  
 Aureq; meis date sermonibus.  
 Deus est omnipotens, supremus,

Hactenus ad  
 Pornium &  
 de Pornio lo-  
 cutus est.  
 Nunc plebem  
 & spectatores  
 instruit.

Nunquam

Nunquam genitus, qui semper fuit,  
 Qui semper & est, & semper erit  
 Genitor, Natus, Sanctus Spiritus.  
 Tres sunt, verùm est tamen vnus Deus  
 Immortalis & aternus, pius,  
 Solus bonus, inspector pectorum,  
 Clemens, vindex, simplex, prouidus,  
 Quiq; benignus & esse misericors,  
 Calorum & rerum pater omnium  
 Iustus & vnus index dicitur.  
 Hunc colite, hunc vnum, qui solus  
 Rex mari & amplo presidet orbi,  
 (Nam decet illud) honorate Deum,  
 Illius sub pectore fixa  
 Quæ præcepit dicta tenentes.  
 Odit scelus, odit Venerem malam.  
 In primis consanguineum thorum,  
 Et patris & matris vitabitis.  
 Effugite nouerca atque sororis,  
 Neptis & amitæ, & sic matertera,  
 Et quouis alio illicitos modo  
 Fædè concubitus admissos.  
 Omnis amet castè matrem & patrem,  
 Omnis sanctè sabbatha seruet.  
 Nemo Deastris aliquem det locum,  
 Neque quis fusos faciat deos,  
 Nec simulacrum vllius sit rei  
 Quod quis adoret, siue ea res sit  
 Aut in calis, aut in terris,  
 Aut in aquis sub terra. nam Deus

Impatiens

Impatiens est socij, nec finit  
 Alijs, qui suus est, diuinum  
 Impartiri laudis honorem.  
 Non adhibere Dei diuinum  
 Leuibus rebus nomen inaniter.  
 Post sextam requiescite lucem,  
 In honore parentes habeatis.  
 Non homines homines occidite,  
 Nec adulterium aut furtum admittite.  
 Contra alios falsum ne dicite,  
 Nec res alterius petitate,  
 Nec Apostolicam deserite fidem:  
 Sed totis vos viribus illam  
 Qua parte potestis, quaque licet,  
 Diuinis armis defendite.  
 Me vocat aliud tempus, vos tamen  
 Absentem vt presentem habeatis,  
 Vt nostrum precordia nomen  
 Inscriptum pectoribus seruent.  
 Nostri memores, estote viri,  
 Virtutiq; fauete absenti,  
 Dum varijs iactatum fluctibus  
 Raptari cernetis Pornium.  
 Pax & multa salus & gratia  
 Perpetua adsit vobis, & si  
 Quis nostrum numen desideret,  
 Etiam si longius absuero,  
 Adero, & sentiet ille meae manus.  
 Omnes habeo siquidem vno ordine.

CHO.

CHORVS.

Hunc regit mundum volucer Cupido,  
 Dum potens arcu simulatque flammis  
 Non resistentes iuuenes virosq;

Acrius vrit.

Nunc senex nervis recipit calores,  
 Nunc nouos astus patitur puella,  
 Nunc suum tangi videt igne pectus

Candida virgo.

Ille vel tigres domat, & leones,  
 Et petit reges opibus potentes.  
 Ille Diuorum dominatur alta

Victor in arce:

Hic Iouis magni speciem resoluuit,  
 Qui velut factus Satyrusq; ad aurum,  
 Cogitur dulcem patriam domosq;

Linquere caelum.

Hic suo Thyshen iaculo peremit,  
 Hic suo Phœbum superauit arcu,  
 Tam toros castos auido petentem

Pectore Daphnes.

Non tamen durus puer iste cessat,  
 Nec feras casu iuuenum mouetur,  
 Sed suum semper numerum diurno

Duplicat vsu.

Id, quod à mentis ratione prodit,  
 Quodq; vult mentis fieri creator,  
 Que statim rumpant Venus & Cupido

Retia tendunt.

Verba non cauto sua dant amanti.

O

Simpli-

*Simplices verbis capiunt tenentq̄*

*Adq̄ Virtutem bene consulentes*

*Fraude repellunt.*

*Tu tamen cali moderator alti,*

*(Si qua spes nobis miseris supersit)*

*Pornium serua, iuuenemq̄ duris*

*Exue vinculis*

*Te potest solo miser hic reduci,*

*Atque Virtutem reuocare pulchram,*

*Et potest cali duce te videre*

*Regna beati.*

### ACTVS TERTIVS.

Theophilus, Pornius, Venus,  
Amor.

VEN. Celebremus hunc festum diem concordia,

Exporrigamus frontem, & hanc vitam simul

Nos exigamus usque confensu paria

Age Porni, ede, bibe, praeter hac nobis nihil.

Dabitur. Quid homo moraris? an prohibet pudor,

Vel aliud expectas? olorem hunc distrahe.

PO. Nō hoc pudor prohibet, nec aliud peto Venus:

(Quamuis adhuc bulbos & erucas mihi

Iubebis apponi, & quod hoc praestet merum)

Sed me cibi potusq̄ satietas tenet.

VEN. Quid? ergo perplexus sedes vel hasitas?

POR. Carmē ego meditator, quod cetero modo liceat.

VEN. Exaudiamus, quid boni praeserferat,

Auresq̄ nostras dicta pulchra mulceant.

Nam

*Nam cantus in conuiuijs iuuenes decet.*

POR. *Vis illud antiquū, & vetus carmen Venus?*

VEN. *Quod vis, volo Porni, tuum nolle est meum.*

### CARMEN ELEGIACVM POR- nij lasciuientis.

STVLTVS is est certē, nec nō insanus & amens,

*Qui vetat hac vita commoditate frui.*

*Is ratione carens frustra versatur in orbe,*

*Qui nolit vita regna beata sequi.*

*Discite vos igitur iuuenes castaq̄ puella,*

*Vita quibus felix debeat esse modis.*

*Non tibi nummorum placeat vesana libido,*

*Mens tua nil cupiat, nec sit auara manus.*

*Sint procul ingenio tristes à pectore cura,*

*Immodico semper corda labore vacent.*

*Luxuriam colito, semper comes esto proteruius,*

*Ebrietas placeat, vinaq̄ sumpta proba.*

*Sit tibi gratus Amor, tibi sit quoq̄ grata Voluptas,*

*Qua iuueni sano nil prius esse potest.*

*Sape tuo capiti facias ex flore coronam,*

*Viq̄ mihi nunc est, sit tibi iuncta Venus.*

*Sape iuuet molli percurrere pollice chordas,*

*Sape iuuet digitis intrepuisse lyram.*

*Sape tua Veneri blandos det tibia cantus,*

*Et Veneri blandum fistula dicat, aue.*

*Sapius alterno versu recitentur amores,*

*Et citharam plectro concutiente, sali.*

*Sapius in Veneris gratis amplexibus herens,*

*Iunge tuum femori quam potes vsque femur.  
Sic equidem nobis hac vita beata paratur,*

*Principiumque pia tale salutis erit.*

VEN. *Ista tua? POR. mea. VEN. Nasonis esse  
crederem.*

POR. *Adeo ne tibi Venus placent? VEN. Ut nil  
supra.*

*Nil potuit accedere mihi vel gratius,  
Vel dulcius, vel suauius, vel blandius.*

CVP. *Mihi videtur posse Musas vincere.*

VEN. *An vbiq; similis es tui? VOL. est, sed est  
tamen*

*Vocalibus chordis magister aptior.*

VEN. *Eia age mi amice te virum talem exhibe,*

*Qualem fuisse credidimus & credimus.*

*Spes & mea vita salus, nunc incipe.*

*Chordas bene instructas habes: chordas moue.*

*Nos more nostro succinemus lusbis.*

### ODE TRICOLOS

*tetrasrophos.*

O MAII *viridissima*

*Et latissima tempora*

*Dulci gramine campos*

*Exornantia floridos.*

*Nunc cantum volucris ciet*

*Dulcem, pulchrum & amabilem,*

*Maï festi celebrans,*

*Duri temporis immemor.*

*Versus assiduos mouet*

PARUS

*Paruo & garrulo auis sono,*

*Quam Pandionis esse*

*Dicit fabula filiam.*

*Et nos, qui Veneris sumus,*

*Iucundissima tempora*

*Amplexu generoso*

*Adnexi celebrabimus.*

*Amplexu mediam tenens*

*Prata & balnea visitet,*

*Et iucunda locorum*

*Lustret lumine fulgido.*

*Fac te senserit, ô Proce,*

*Aut Virgo aut mulier virum.*

*Nam dulcissima sunt hac*

*Ac aptissima tempora.*

*O felix, ô nimis*

*Felix atque beatus est,*

*Qui longas premit herbas*

*Cum iuncta sibi virgine.*

*Infestus Boreas, Notus,*

*Et venti tumidi tacent:*

*Sed tantum Zephyrus flat*

*Et blanditur amantibus.*

*Ergo qui colitis Deas,*

*Dulcem insistitis in viam:*

*Ac herbas bene olentes*

*Iam sentitis amicali.*

*Est Myrtus Veneris frutex,*

*Herba est Laurus Apollinis.*

*Gaudet littore Myrtus,*

O 3

Silvia



*Siluis innuba Laurus est.*

*Siluas castæ adamant Dea.*

*Littus castæ adamant Dea.*

*Nec siluas Venus odit,*

*Nec littus Venus oderit.*

*Ergo qui Venerem colens*

*Siluan & littus Procus,*

*Sese iungat amica,*

*Et det basia amasio.*

*Nos Maij celebramus hunc*

*Festis carminibus diem,*

*Nam curanda relinquet,*

*Si quis dat Veneri fidem.*

ACTVS TERTII, SCENA

SECYND A.

Abaddon & Miasfor Dæmones.

MIASFOR. *Iam fera tenetur capta nostris cassibus,*

*Et quod periui semper, ego nunc consequor.*

*Iam commodo satis in loco fraus & dolus*

*Verfantur, & nunc (vt volo) sunt omnia,*

*Sunt vt volo nunc omnia, omnia, omnia.*

ABADDON. *Ignauæ, iners, inutilis, stolidæ & piger,*

*Rusticæ & agrestis, societate demonum*

*Indigne, stupide, transfuga & periure, an hæc*

*Horas locabis fabulis & otio?*

*Hocce boni est famuli? decet sic furcifer?*

*Vix ego mihi impero, rapuit animum dolor.*

*Vix ego manum contineo, verbero, vapula.*

MIASFOR.

MIASFOR. *Quid verberas? iam nosfer est, quid ver-*  
*lam nosfer est, quid verberas? iã nosfer est. (beras?*

ABADDON. *Quid nosfer est ille, si animũ mutet suum,*

*Alioq<sub>3</sub>, sese vertat, & se subtrahat,*

*Et manibus elabatur alienus tuus?*

*Hem quid ais, ô verbero? quid ais, ô verbero?*

MIA. *Ami ô Abaddon, quid me Abaddon verberas?*

*Namq<sub>3</sub>, Rhadamantus me innocentem iudicet:*

*Nostrasq<sub>3</sub>, causas esse iustas dixeris,*

*Si me audias, aut si tibi fas est loqui.*

*An Veneris & Virtutis illa iurgia,*

*Contentiones maximas natas quoque,*

*Et esse Virtutem propulsam longius,*

*Odiõq<sub>3</sub>, haberi à Pornio non noueris?*

ABADDON. *Nauis probè infestũ caput. quid illa ad hæc?*

MIASFOR. *Virtus sibi factas queritur iniurias*

*Suo patri, pater ultionem cogitat,*

*Patrisq<sub>3</sub>, iussu Mors fores pulsat, & ad has*

*Aedes, vt est audax virago, obambulat.*

*Latantur intus, esse mortem proximam*

*Ignari. at illa obmurmurat, telum vibrat.*

*Celum aspicit similis minanti. sed tace,*

*Vt quas loquatur percipi voces queant.*

ACTVS TERTII SCENA

TERTIA.

Mors. Pestis.

EGO Mors vocor, cui copiam fecit Deus

Homines ferasq<sub>3</sub>, simul necandi strenuè,

Cui sceptræ vasti Iuppiter mundi dedit,

Cùm parcere alicui esse diceret nefas,

Cum eadem & vna falce cunctos sternerez.  
 Iussit, vt inopibus diuites essent pares.  
 Lex igitur omnes ista regit, nec mihi aliquis  
 Dolos parabit, sed nec euadent boni  
 Ictus meos, vel has manus acerrimas.  
 O pectora hominum caca, & ð inania.  
 Cur vos superbè extollitis? cur luditis?  
 Cur gaudia & lusus iocosq; queritis?  
 Cur Veneris illecebras malas sectamini?  
 Cur festa celebratis choreis turpibus?  
 Et cur adulterium placet? quid Amor iuuat?  
 Cur vos Voluptas adedò fœda detinet,  
 Cùm spiculis fitis meis obnoxij?  
 Non forma honesta me mouet, non aureo  
 In ore purpureus color, non coma nitens,  
 Non vestis auro picta, non pecunia,  
 Non gazæ, non scrinia tumentia vndique:  
 Sed siue summo genere, seu sint infimo,  
 Seu diuites, seu pauperes, cedant mihi.  
 Vade igitur hinc mea famula celeri gradu,  
 Et igne corpus Pornij totum infice,  
 Vt me suis præforibus esse sentiat.  
 PEST. Quod imperas, ego exequar fidiissime,  
 Scis nempe queis tractare soleam moribus,  
 Et pestilenti inficere venas sanguine,  
 Dum Christus hoc, aut tempus aptum præcipit,  
 Omnia tibi subsunt tamen, mihi neuriquam.  
 MOR. Abi ergo, abi ocyus, & abi, inquam. vix  
 Ingressu cùm te subsequar: tēpus prope est. (eris

ACTVS

ACTVS TERTII, SCENÆ  
 QVARTA.

Pornius. Venus. Voluptas.  
 Cupido.

POR. Ami Venus. VEN. quid est amice? POR.

Ami Venus.

VEN. Quid est amice? POR. ingens dolor mem-  
 bra occupat,

Dirusq; nostrum morbus animum corripit,  
 Vt pestilentes corpora inuadunt febres.

VEN. Absit malum omen, absit. POR. At me  
 pestilens

Seiunget à te pestilentia, & nigro

Condet sepulchro morte præuentum cita.

VEN. Quid pestilentem pestilentiam miser

Dicus? POR. nisi ego te Venus amare, possem ego

Meum dolorem dissimulare: quod neque

Possem facere, vt alij, neque facere cogito.

Quare precor, ne me relinquant languidum,

Obrestor, oro, supplico, efflagito, Venus.

Scis nempe, testamentum vt effectum docet,

Ex asse te heredem fore, & tete omnibus

Meis relictis præposuisse heredibus.

Quare precor, ne me relinquant languidum,

Obrestor, oro, supplico, efflagito, Venus.

VEN. Faciam profecto, & vt tibi saluo adsui,

Sic & tibi adero nunc habenti te male.

POR. O Sol, & ð tu Luna, mundi lumina,

Et ò Venus, & ò vos amici, quos ego  
 Nunquam videbo postea: valete iam,  
 Valete. Sed quonam Voluptas & Amor  
 Dudum recessit, mira pollicitus mihi?  
 VEN. Abiere modò, doloris expertes mali.  
 POR. Iam video frustratum esse miserè Pornium,  
 Et me simul peccasse liberius Deo,  
 Et plus profecto, quàm remittatur mihi,  
 Aut mihi remitti possit à Deo patre.  
 Nec est salus speranda, neque spero, utpote  
 Cuius scelera clementiam exuperent Dei.  
 Iam video frustratum miserè Pornium.  
 VEN. Sed dic mihi, quis te miser frustratus est?  
 Licet Voluptas, licet Amor te sugerint,  
 Ego tamen ò Porni tua esse gaudeo,  
 Nec alteri connexa coniungar viro,  
 Siue ille legitimus thorus, siue ut tuus.  
 Sed te Deus (spero) mihi serauerit.  
 POR. Serauerit? conspicio mortem proximam,  
 Quæ scilicet mutat colorem corporis,  
 Nostrumq; tradat demonibus animum malis.  
 VEN. Absit malû omen, absit. POR. absit? non vides  
 xaxodaxuxoves geminos ab hac parte, positi  
 Vbi pedes nostri iacent? VEN. video nihil.  
 Sed hic quid hij faciunt? POR. sibi affirmant meam  
 Debere me vitam, & profectò non nego.  
 VEN. Quin pernegas? POR. quòd nil boni vnquam  
 fecerim,  
 Quòd sacra profanus spreuerim, quòd Theophilum  
 Ipsamq; Virtutem tibi posthabuerim;

Ipsi q;

Ipsi q; aquis & ignibus interdixerim.  
 VEN. Reuocare licet. POR. at longius abest quàm  
 queat  
 Reuocari. eheu. VEN. longius abest? POR. lon-  
 gius abest.  
 Vixi malus; sum quoque malus, moriar malus.  
 Nam mea scelera clementiam exuperant Dei.  
 VEN. Iuuenis es, & viuere potes. POR. possum  
 mori.  
 VEN. Precare Dominum, ut is miscreatur tui.  
 POR. Video biremem, conspicio scapham, intuo  
 Nautam Charontem, mortuos qui hinc deuocat.  
 Contum manu tenet, vocat me, heus heus veni,  
 Propera, in mora es nobis, reliqua parata sunt.  
 VEN. Delira certè hac est & anilus fabula.  
 POR. Hanc esse dicis fabulam? non tu vides?  
 Abducit hinc me Pluto caruleus Deus,  
 Manusq; nostras ipse toruus corripit.  
 Sed da Venus numum; alioqui natandum erit.  
 VEN. Hei hei mihi, tristitia loqueris, hei hei mihi.  
 Noli rogo deserere me Porni, obsecro  
 Animum recipe, te mortuo, ipsa nulla ero.  
 POR. Vides Venus, quo sim miser positus loco,  
 Dicam tamen tibi priusquam morior, id  
 Quod volo. ego iuuenis morior, & te habui vt  
 meam,  
 Cùm possim habere nobilem atque diuitem,  
 Domosq; possidere iure summo patrias,  
 Regno beatas vtique non ignobili,  
 Opibusq; claras patrijs: ego tamen (heu)

Non

Non volui amica auulsus à te viuere,  
Atque igitur insensos habeo mihi Deos.  
Namque ego morior, & tu meus (malè vereor)  
Adiuta diuinijs, tibi posces virum,  
Opibusq; dotabis meis pauperculum.

VENVS. Nil metue, Porni. namque eras viuus  
meus,

Meus etiam mortuus eris. nullus suam  
Venerem maritus coniugem me dixerit.  
Tua sum. tua ero. dotata sum satis bene.  
Tam nobilis, tam pulcher aut tam candidus  
Nemo vnquam erit, cui ego meo nubam viro:  
Si te mihi Deus adimat Porni, (hei dolor).

Lugebo, non vt moris est, annum modò:  
Sed donec istos morte finiam dies,  
Vitamq; grata morte commutem meam.  
Coniunia & Cupidinis commercia  
Nostraq; perfida Voluptatis domos,  
Leuesq; lusus quippe mundo mortua,

Choreasq; iuueniles facillè reliquero.  
Non barburos, non Libyca tibia cura erit:  
Nec mihi meos minuent dolores tempore  
Testudo, cithara & organa, atque sambuca:  
Sed corpus artificum manu sculptum in meo  
Lectò (velut viuum solet) locabitur:  
Illudq; complexa manibus, falso tamen,  
Carum videbor habere misera Pornium.

POR. Quis, quis? quis es? da mihi aliquid. opes  
sunt meae,

Exhaurias volo, ebibas, ego ebibi.

VEN.

VEN. Quid est amice? POR. Eg. Am. Ve. te.

VE. hei moritur miser.

Adeste mihi ciues, adeste, adeste eheu,

Adeste populares, adeste. nullus huc?

Viuus ne Porni? da tua signum manu.

Da mihi tua signum manu. Da mihi precor,

Porni tua signum manu, da mihi precor.

Non dat miser. Vixit. sed ego quid nunc agam?

Quid ue faciam? si non redierit Pornius,

Seruauerim ne mortuum mihi? neutiquam.

Nam nullam amici mihi referrent gratiam,

Sed nec agerent. ergo ad patris ferri domos

Iubebo. viuos curo, vito mortuos.

### CHORVS.

QVID vos superbi extollitis?

Quid ue iuuenes scortamini?

Quid vos choreas ducitis?

An non videtis improbi,

Vt mors auara scuiat?

Quid vestis auro splendida est?

Quid vos iuuant pecunia?

Quid gemma ditat nobiles?

An non videtis improbi,

Vt mors auara scuiat?

Cur vos Voluptas recreat?

Cur vos Venus & Amor iuuant?

Cur gratus est stultis iocus?

An non videtis improbi,

Vt mors auara scuiat?

CUR

Cur vos adhuc persistitis  
In sceleribus & erroribus?  
Cur vos adhuc estis mali?

An non videris improbi,  
Vt mors auara sauiat?

## ACTVS QVARTI, SCENA

## PRIMA.

## Nuntius.

O DII boni, quātum est mulier homini malum.  
Malè sit mihi, si vnquam potuerim credere,  
Venerem aded variabilem & mutabilem:  
Quām cum palam eius perfidia nota fuerit.  
O quanta mulieris eius impudentia,  
Quām praua, quām fucata, quamq; inutilis,  
Et quām dolosa, quām scelestā demque.  
O mulier inuisissima hominibus omnibus,  
Mendaciorum domina, quae mala consuit,  
Sani nihil, peruersa cuncta sentiens;  
Virtutis & pudoris optimum decus,  
Legesq; sacras negligens, neque superos  
Neque inferos moratur inuisum caput.  
Nam Pornius stultè suas opes ei  
Impendit, & amauit, habuit sibi pro sua.  
Scortum excoluit haud aliter ac si vxor foret,  
Et multa millia addit doris loco.  
Suarum opum heredem instituit, & proprijs  
Suis relictis fratribus ius abstulit.

Hanc

Hanc gratiam compensat ista gratia,  
Sepelire non vult mortuum, nec in domo  
Sua tenere, sed suis remittere.  
Trudit foras, longè propellit ab adibus.  
Ego ipse vidi, ideoq; nuntianero  
Fuisse, & excessisse vita Pornium.

## CHORVS.

NEMO confidat viridi iuuentæ;  
Nemo confidat tremula senectæ:  
Mors enim cunctos stabili Deorum  
Lege trucidat.  
Cuncta si cuncti fugienda vident,  
Et queant diuos precibus mouere:  
Non tamen possint precibus Deorum  
Flectere fata.  
Pulchra nil profit tibi forma vultus,  
Nec queat corpus placidum iuuare,  
Si dolo neclens tibi Mors malignis  
Falcibus adsit.  
Sis licet magno Cicerone maior,  
Et licet doctum superes Maronem:  
Non queas mortis rabidum canendo  
Sistere cursum.  
Ergo vos omnes iuuenes senesq;  
Vosq; non cauti pueri & puella,  
Credite extremam properantis horam  
Mortis adesse.

ACTVS

ACTVS QVINTI SCENA  
PRIMA.Abaddon cum reliquorum Dæmo-  
num Choro.

Pornius Damnatus.

ABAD. *Quid otiosi statis hic satellites?  
Attingite, atrectate, cuditte, noster est.  
Vincite, quisque suis labore viribus.  
Vexate, fortes adiuuate fortiter.  
Tu scis ubi es? Venus hæc tua est, tuus hic Amor,  
Tua hæc Voluptas, hæc tua mensa dapes.  
Hi sunt tui cantus, & hi lusus tui.  
Nunc Venere frueri, nunc Amoribus utere.  
Potes hic Voluptati obsequi, omnia suppetent.  
Odiosa lux est solis & luna tibi?  
Neque Sol videndus, neque tibi Luna dabitur,  
Odiosa vita, odiosa vita est tibi quies?  
Ista tibi vita perpetua tua mors erit,  
Nec vlla pœnas mitigabit tibi quies.  
Odiosa pax? odiosa virtus est Dei?  
Prælia dabuntur, neque tibi Virtus erit.  
Odiosus est dies? & odiosa pietas?  
Hac nocte semper impie tractaberis.  
Odiosa spes? odiosa caritas? fides?  
Odiosa gaudia? & odiosa Veritas?  
Meliora ne speres. amoribus Dei  
Diffusus, hanc ingredieris in nostram viam,*

Cum

*Cum veritate gaudia patris negligens.  
Ideoq; cum reliquis homo torqueberis.  
POR. Aether & ð calum Jouis, & ð flumina,  
Fontesq; fluuiorum, atque vos venti inuoco.  
O terra nostra frugum mater omnium,  
O Sol & ð tu Luna, mundi lumina,  
O mi Deus, vitalis auctor luminis,  
Me respice: vide qualia à malis mala  
Patiar, opem fer, nec sinas in carcerem  
Dirumq; fornacem, hei odores pessimos  
Flammamq; pessimissimam efflantem injici.  
Hei hei mihi, nullus erit istis terminus,  
Hei hei miseris. Hi mihi infesti nocent,  
Cruciant & vrgent ad cathedram principis  
Toruum intuentis. O ego inuisus Dijs  
Euexit, & vita beavit optima.  
Eheu mihi, quales mihi apparent meis  
Oculis figura, ð tegite me, ð tegite me,  
Tegite domorum tecta, & in me ingentium  
Irruite, montes vallium cadite super  
Me, cadite, cadite, & tegite & auertite citi  
Scilicet ab his aspectibus faciem meam.  
O execratus venter & vter sit mea  
Matris, patrisq; sit mei manibus malè,  
Manibusq; nutricis mea: quod scilicet  
Et iuuenem & infantem educauerint,  
Quod scilicet me non malum correxerint.  
Sit execrata mater & pater meus.  
Namq; ego parentum ignavia pereò malè.*

P

O pallor

O pallor, ô dolor timendi carceris.  
 O stridor ingens dentium. ô frendens tremor,  
 Ut vndique premor, ut vndique afficior male,  
 Ut me malorum dæmonum exercent chori,  
 O magne diuorum pater, & hominum salus.  
 Sit certa pœna & certus in pœna modus,  
 Miserere misericors tui nati pater.  
 Miserere nostri, & pœna sit mihi mitior.  
 Hic terra non est Cereris, aut Bacchi ferax,  
 Nec his in oris lata luxuriat seges.  
 Non silua frondes, nec habet vvas pampinus,  
 Non poma dulcia tristis arbor porrigit:  
 Sed vbiq̃ue tristiora sunt tristissimis.  
 Hic poma captat Tantalus fugacia,  
 Et miser in vnda arente se exagitat siti.  
 Hic saxa Sisyphus agit humeris lubrica,  
 Saxiq̃ decurrentibus in præceps datur.  
 Hic semper accrescente iecore Titius  
 Visceribus vsque pascit horrendas aues.  
 Hic trahitur alligatus Ixion rota,  
 Misereq̃ torquetur miser nocte ac die.  
 Verum quid enumerem alios? ego sentio  
 Quanta patiar, quanto in dolore & miseria.  
 Nunc verfer, & quot flebilis crucier modis.  
 Hic verberare in me sauit, hic nudat cutem,  
 Hic in Acherontem me parat demittere,  
 Auidoq̃ sulphuri vorandum tradere.  
 O vti nam ego in lucem editus nunquam forem,  
 Vel saltem atroces me abstulissent Tigrides,  
 Vel me leones deuorassent horridi.

At

At quia pepercerunt mihi viuo fera,  
 Nunc mortuum vexant maligni Dæmones,  
 Miserumq̃ raptant, meq̃ compellunt mali.  
 O agite mecum mitius, parcite mihi,  
 Parcite precanti, parcite mihi miserrimo.  
 DÆM. Non precibus vllis flectimur, non lacrymis,  
 Non fleatibus, nec nos tui miserebimur.  
 At ignibus crepitantibus iactaberis,  
 Et fluctuabis sulphure & bitumine:  
 Procede igitur, & desinas tandem queri,  
 Procede grauiora subiture pericula.  
 P O R. Puni, sed obsecro mitius. DÆM. non pu-  
 niam,  
 Sed puniendum sceleribus tradam tuis:  
 Ut quid sit Epicuri agere vitam sentias.  
 Procede, Cerberus vocat te, perditte.

FINIS.

SI QUID hic dictum factumque sit, quod ab Apostolica & vera religione alienum sit, indictum, infectumque esto. Nam Hannardus Gameraius non est ea mente, qui factiosas sectas sequatur, aut eam falsis & profanis rationibus fidem habeat.

AD NOBILES ET GENEROSOS IUVENES, VIGLIUM & Ioannem ab Hoeldingen fratres, Domini Hannardi Gamerij discipulos, magnifici doctissimi que viri ac Domini Mennatis iudicis Landspergensis filios

ELEGIA.

O Iuvenes, Vigli tuq<sup>3</sup> ð perdocte Ioannes,  
 Laudibus antiquos qui superatis auos:  
 An vos felices, vel nobilitate potentes  
 Esse magis credam: dicite, queso, mihi?  
 Si genus est vestrum, si fors spectanda benigna,  
 Iudicij certe non locus vllus erit.  
 Est aliquid clarum proauorum stemma referre,  
 Est aliquid summo de genere esse satum.  
 Sed si non virtus hac inclyta dona secundat,  
 Obscurum penitus redditur omne genus.  
 Progenies igitur vestra vt celeberrima fiat  
 Curatis, vester curat & ipse pater.  
 Quum Præceptori non cuiilibet ille docendos  
 Vos tradat, magno sed grauitate viro.  
 Artibus omnigenis qui laudatissimus extat,  
 Cui similem nunc vix Teuthona terra tenet.  
 Cecropidum vt natum clara credatis in vrbe,  
 Nutritum in sacro Piëridumq<sup>3</sup> specu.  
 Ingenio hic Sophoclis datus est ab Apolline claro,  
 Euripidis puros spirat & ille modos.  
 Huic etiam Satyri propenso corde fauorem  
 Ostendunt, illi mæsta Elegia fauet.



*Illius laudes cunctas si dicere vellem,  
Tentarem guttas enumerasse salis:  
Idcirco talivos Praeceptore beati,  
Diligite hunc proni : iussa & obite sua.  
Ad magnos certi tunc pervenietis honores,  
Vestraq; tollentur nomina ad astra Poli.*



*M. Georgius Vaigelius Ludi-  
rector ad D. Petrum,  
Monachij.*

**FINIS.**

3 B2

